

notitiae

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

320

MARTIO 1993 - 3

CITTÀ DEL VATICANO

Commentarii ad nuntia et studia de re liturgica
editi cura Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum
Mensile - sped. abb. Postale - Gruppo III - 70%

Directio: Commentarii sedem habent apud Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta NOTITIAE, *Città del Vaticano.*

Administratio autem residet apud *Libreria Editrice Vaticana – Città del Vaticano* - c.c.p. N. 00774000.

Pro commentariis sunt in annum solvendae: in Italia lit. 40.000 – extra Italiam lit. 50.000 (\$ 45). Singuli fasciculi veneunt: lit. 6.000 (\$ 7) – Pro annis elapsis singula volumina: lit. 60.000 (\$ 60).

Libraria Vaticana fasciculos Commentariorum mittere potest etiam *via aerea.*

Typis Vaticanis.

SOMMAIRE - SUMARIO - SUMMARY - ZUSAMMENFASSUNG 89-90

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Varia: La Semaine Sainte dans le Lectionnaire biennal de l'Office de la lecture (Aimé-Georges Martimort) 91-93

Liturgia Horarum – Supplementum. Tempus Quadragesimae –	
Hebdomada Sancta: Anno I	94-136
Anno II	137-168

SOMMAIRE - SUMARIO - SUMMARY - ZUSAMMENFASSUNG

Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum

Nous publions comme *specimen* la partie de la Semaine Sainte (année I et II), en donnant ainsi aux lecteurs une occasion de voir le travail de préparation du *Lectionarium – cursus biennalis* de la *Liturgia Horarum*. L'extrait est précédé d'une présentation de Mgr A.G. Martimort, rapporteur du «Coetus». Le texte donne seulement les lectures bibliques et patristiques avec les répons. Pour les autres éléments, qui devront figurer dans l'édition prévue, comme les hymnes, la psalmodie, les versets, les «Passions» et les évangiles pour la vigile prolongée, les oraisons et les conclusions de l'Heure, on donne seulement les références aux pages de la *Liturgia Horarum, editio typica altera*.

Les textes que nous publions sont accompagnés de quelques notes et références pour faire comprendre la raison des choix effectués.

* * *

Publicamos como *specimen* la parte de la Semana Santa, año I y II, ofreciendo a los lectores una ocasión de ver el trabajo realizado en la preparación del *Lectionarium – cursus biennalis* de la *Liturgia Horarum*. Mons. A. G. Martimort, Relator del «Coetus» hace la presentación del muestrario. Se indican solamente las lecturas bíblicas y patrísticas, y los responsorios. Para los demás elementos, que figurarán en la verdadera y propia edición, como los himnos, la salmodia, los versículos, la «*Passio Domini*» y los evangelios para la Vigilia prolongada, las oraciones, y conclusiones de la Hora, se mencionan sólamente las páginas de la *Liturgia Horarum, editio typica altera*.

Algunos textos, que se publican, van acompañados de algunas notas y referencias para comprender las razones de su elección.

* * *

We publish as a specimen part of Holy Week for year I and II, thus giving the reader the possibility of seeing something of the preparatory work for the two year cycle of the Lectionary of the *Liturgy of the Hours*. The extract is preceded by a presentation of the work by Mons. A.G. Martimort, the Relator of the «Coetus». The text gives only the biblical, patristic rea-

dings and the Responsories. For the other elements, that will be given in the actual edition, such as the hymns and psalmody, the verses, the « Passion » and the Gospels for the longer form of Vigil, the prayers, the conclusion of the Hours, the references are given to the pages in the *Liturgia Horarum, editio typica altera*.

The texts given are accompanied by some explanatory notes.

* * *

Wir veröffentlichen als « Probeabdruck » den Teil der Heiligen Woche – Jahr I und II –, um den Lesern einen kleinen Einblick zu geben in die laufenden Arbeiten zum *Lectionarium – cursus biennalis* der *Liturgia Horarum*. Diese Publikation, der eine Präsentation von Msgr. A.G. Martimort, Relator des « coetus », vorangestellt ist, weist allerdings nur die biblischen und patristischen Lesungen sowie die Responsorien auf. Für die anderen Elemente wie Hymnen, Psalmen, Versikel, Passion, Evangelien für die Vigilien, Orationen und Abschluß der Horen wird verwiesen auf die entsprechenden Seiten der *Liturgia Horarum, editio typica altera*.

Die veröffentlichten Texte sind mit einigen Anmerkungen und Hinweisen versehen, welche die getroffene Auswahl begründen.

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Varia

LA SEMAINE SAINTE DANS LE LECTTIONNAIRE BIENNAL DE L'OFFICE DE LA LECTURE

Il a semblé utile de donner déjà, comme spécimen du Lectionnaire biennal dont les *Notitiae* ont traité précédemment à deux reprises,¹ les textes de la Semaine sainte proposés pour les deux années. Il s'agit en effet des jours qui, avec la Vigile pascale, constituent le sommet de l'année liturgique: ils ont bénéficié, depuis au moins le IX^e siècle, de créations euhologiques qui ont nourri la piété des chrétiens, et pas seulement des clercs, car certains offices, notamment les «Ténèbres», étaient célébrés même dans les simples églises paroissiales avec assistance de nombreux fidèles. C'est d'ailleurs le souci de la célébration populaire et de l'importance spirituelle du répertoire ancien qui a guidé l'élaboration du présent Lectionnaire de la Semaine sainte.

En effet, l'Office de la lecture, élargi par la *vigilia protracta* telle que l'a prévue pour les dimanches et certains jours plus solennels l'*Institutio generalis de Liturgia horarum* (n. 73), était le cadre normal pour faire retrouver l'essentiel de la célébration ancienne des Ténèbres; mais il fallait tenir compte avant tout du grand principe de la «vérité de l'horaire» des jours saints; expérimenté avec succès depuis 1955 dans l'aménagement des offices de la grande semaine: c'est désormais non plus dans l'après-midi, comme jadis, mais dans la nuit

¹ *Notitiae* 27, 1991, n. 302, pp. 512-516; 28, 1992, n. 306/307, pp. 91-92; 143-145.

ou au premier matin que l'on célèbre les vigiles; il ne peut par conséquent pas en avoir le jeudi saint avant la célébration de la Cène; elles sont prévues uniquement pour le vendredi et le samedi saints. Après la psalmodie et les lectures (nous reviendrons sur ces dernières), la veillée est donc prolongée par le chant de trois cantiques et la proclamation de l'évangile. Les cantiques, selon le souhait qui avait été exprimé par diverses communautés, sont tirés des Lamentations, qui retrouvent ainsi leur place traditionnelle et leur style psalmodique. L'évangile du vendredi saint est le récit de la Passion dans l'un des Synoptiques qui n'a pas été lu cette année le dimanche précédent à la messe; mais on se limite à la lecture des événements du vendredi jusqu'à la mort de Jésus (*Mt* 27, 1-2, 11-56; *Mc* 15, 1-41; *Lc* 23, 1-49); le samedi saint on lit ce qui concerne la sépulture.

Dans l'année I, les lectures bibliques du dimanche *De passione* et du lundi sont tirées des chants III et IV du Serviteur dans le livre d'Isaïe; le mardi et le mercredi sont proposées les premières strophes des Lamentations. Ceux qui ne participeront pas aux vigiles du vendredi et du samedi pourront continuer les jours suivants la lecture des Lamentations. L'année II, à partir du dimanche *De passione*, on lit des péricopes de Jérémie, figure du Christ souffrant. Cependant ces lectures continues céderont volontiers la place à des lectures propres le jeudi, le vendredi et le samedi. Le jeudi, on lira Zacharie 11, 4-14 et 13, 4-7, que les Evangiles citent dans le récit de la Passion (*Mt* 26, 31 et 27, 3-11 et par.). Le vendredi et le samedi conservent les deux péricopes de l'Epître aux Hébreux de *Liturgia Horarum*, qui sont si traditionnelles. On notera cependant que, dans *Liturgia Horarum*, on avait judicieusement interverti l'ordre de ces deux lectures tel qu'il était dans l'ancien bréviaire et sans doute déjà à l'époque carolingienne: Hebr. 9, *Christus pontifex*, convient mieux au vendredi saint; Hebr. 4, *Festinemus ingredi in illam requiem*, était plus indiqué au samedi saint.

Pour la *lectio altera*, les textes choisis vont de saint Cyprien à Aelred de Rielvaux et Guerric d'Igny; y figurent saint Ambroise, saint Augustin, saint Pierre Chrysologue, une hymne de saint Ephrem sur

la Crucifixion et, bien sûr, l'antique homélie anonyme sur le Grand Sabbat, si appréciée des usagers de *Liturgia Horarum*. On ne s'étonnera pas que saint Léon, qui a prêché vingt-et-un *Tractatus* sur la Passion, soit présent deux fois chaque année.

Enfin on remarquera que, à cinq exceptions près, tous les répons font partie du répertoire traditionnel: ce choix s'explique avant tout par leur qualité spirituelle et littéraire; il a eu égard aussi aux possibilités de traduction dans les langues modernes. Mais il tient compte en outre de la faculté qu'il offre, là où l'on célèbre l'office en latin, de chanter ces répons avec leurs mélodies grégoriennes ou les compositions polyphoniques du XVI^e siècle.

AIMÉ-GEORGES MARTIMORT

LITURGIA HORARUM
SUPPLEMENTUM

Anno I

TEMPUS QUADRAGESIMAE
HEBDOMADA SANCTA

*A I Vesperis dominicae in Palmis de Passione Domini usque ad Nonam feriae V
Hebdomadae sanctae inclusive:*

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus invitatorius ut in LH, II, 330.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Pange, lingua*, et Psalmodia ut in LH, II hebd. Psalterii.

DOMINICA IN PALMIS
DE PASSIONE DOMINI

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 335.

LECTIO PRIOR

De libro Isaiae prophetae 50, 8 - 51, 3

Servus Domini patiens contradictionem

50. ⁸ Iuxta est qui iustificat me;
quis contradicet mihi? Stemus simul.
Quis est adversarius meus? Accedat ad me.

⁹ Ecce Dominus Deus auxiliator meus;
quis est qui condemnnet me?
Ecce omnes quasi vestimentum conterentur,
tinea comedet eos.

¹⁰ Quis ex vobis timet Dominum,
audiens vocem servi sui?
Qui ambulavit in tenebris,
et non est lumen ei,
speret in nomine Domini,
et innitatur super Deum suum.

¹¹ Ecce vos omnes, qui accenditis ignem,
accincti sagittis,
ambulate in lumine ignis vestri
et in sagittis, quas succendistis.
De manu mea factum est hoc vobis;
in doloribus recumbetis.

51. ¹ Audite me, qui sequimini iustitiam,
qui quaeritis Dominum;
attendite ad petram, unde excisi estis,
et ad cavernam laci, de qua praecisi estis.

² Attendite ad Abraham patrem vestrum
et ad Saram, quae peperit vos;
quia unum vocavi eum
et benedixi ei et multiplicavi eum.

³ Consolatur enim Dominus Sion,
consolatur omnes ruinas eius;
et ponit desertum eius quasi Eden
et solitudinem eius quasi hortum: Domini.
Gaudium et laetitia invenientur in ea,
gratiarum actio et vox laudis.

RESPONSORIUM*

Ier 11, 19; Ps 40 (41), 8

R. Eram quasi agnus innocens: ductus sum ad immolandum, et nesciebam: consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes:
 * Venite, mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.

V. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me: dicentes. * Venite, mittamus.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Leonis Magni papae

(Tract. 56 de Passione Domini, 1: CCL 138A, 328-329)

Christiana spei vera ratio et causa principalis est crux Christi

Creator et Dominus omnium rerum Christus, post inusitatum sacrae Virginis partum, post adorata magorum confessione cunabula, post multiplicem doctrinam caelestis eloquii et variarum curationum medelas imperio verbi potentis effectas, dispensationem omnium sacramentorum omniumque virtutum salutifera passione consummat. Christianae igitur spei, dilectissimi, vera ratio et principalis causa crux Christi est, quae licet *Iudeis sit scandalum, gentibus autem stultitia*, nobis tamen *Dei virtus est Deique sapientia*. Unde summum hoc et potentissimum divinae misericordiae sacramentum semper quidem in cordibus nostris cum tota sui dignitate retinendum est, sed nunc vivaciorem animi sensum et puriorem exigit mentis intuitum, quando

* R. J. HESBERT (ed.), *Corpus antiphonalium officii*, Casa editrice Herder – Roma, n. 6660 (= H. 6660), BR, Feria V, Hebd. sanctae R. 7.

nobis non solum recursu temporis, sed etiam textu evangelicae lectio-
nis omne opus nostrae salutis ingeritur. Nihil ergo apud nos loci cogi-
tationes habeant impiorum, nec integritatem sanae intellegentiae aut
iudaica offensio aut gentilis corrumpat inrisio, ut quod pro nobis non
solum humiliter, sed etiam sublimiter gestum est, aut secundum
hominem impossibile, aut secundum Deum videatur indignum.
Utrumque autem recipi, utrumque convenit credi, quia nemo homi-
num posset nisi utroque salvari. Iustus enim et misericors Deus non
sic iure suae voluntatis est usus, ut ad reparationem nostram solam
potentiam benignitatis exereret, sed quia consequens fuerat ut homo
faciens peccatum servus esset peccati, sic medicina aegris, sic reconcilia-
tio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis iusta
sententia iusto liberatoris opere solveretur. Nam si pro peccatoribus
sola se opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret quam po-
testas. Et rursum, si causam lapsorum sola ageret natura mortalium,
non exueretur a conditione, quae libera non esset a genere. Unde
oportuit in unum Dominum Iesum Christum et divinam et huma-
nam convenire substantiam, ut mortalitati nostrae per Verbum car-
nem factum et origo novi hominis subveniret et passio.

RESPONSORIUM*

R. Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus
passionem. * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem
tuam redemisti mundum. * Miserere nobis.

*Pro Vigilia protracta, Ant. et Cantica, ut in LH, II, 1805-1808; Evangelium, ut
in LH, II, 1814-1815. Oratio, ut in LH, II, 340.*

* H. 7795; cf. LH, Feria II, Hebd. sanctae, R. 2.

FERIA SECUNDA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 334.

LECTIO PRIOR

De libro Isaiae prophetae 52, 13 - 53, 12

Servus Domini, victima expiationis

Haec dicit Dominus:

52. ¹³ Ecce prospere aget servus meus;
exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.

¹⁴ Sicut obstupuerunt super eum multi,
sic deformis erat, quasi non esset hominis species eius,
filiorum hominis aspectus eius,

¹⁵ sic disperget gentes multas.

Super ipsum continebunt reges os suum,
quia, quae non sunt narrata eis, viderunt
et, quae non audierunt, contemplati sunt.

53. ¹ «Quis credidit auditui nostro,
et brachium Domini cui revelatum est?

² Et ascendit sicut virgultum coram eo
et sicut radix de terra sidenti.

Non erat species ei neque decor, ut aspiceremus eum,
et non erat aspectus, ut desideraremus eum.

³ Despectus erat et novissimus virorum,
vir dolorum et sciens infirmitatem,
et quasi abscondebamus vultum coram eo;
despectus, unde nec reputabamus eum.

- ⁴ Vere languores nostros ipse tulit
et dolores nostros ipse portavit;
et nos putavimus eum quasi plagatum,
percussum a Deo et humiliatum.
- ⁵ Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,
attritus est propter scelera nostra;
disciplina pacis nostrae super eum,
et livore eius sanati sumus.
- ⁶ Omnes nos quasi oves erravimus,
unusquisque in viam suam declinavit;
et posuit Dominus in eo
iniquitatem omnium nostrum ».
- ⁷ Afflictus est et ipse subiecit se
et non aperuit os suum;
sicut agnus, qui ad occisionem ducitur,
et quasi ovis, quae coram tondentibus se obmutuit
et non aperuit os suum.
- ⁸ Angustia et iudicio sublatus est.
De generatione eius quis curabit?
Quia abscissus est de terra viventium;
propter scelus populi mei percussus est ad mortem.
- ⁹ Et posuerunt sepulcrum eius cum impiis,
cum divitibus tumulum eius,
eo quod iniquitatem non fecerit,
neque dolus fuerit in ore eius.
- ¹⁰ Et Dominus voluit conterere eum infirmitate.
Si posuerit in piaculum animam suam,
videbit semen longaevum,
et voluntas Domini in manu eius prosperabitur.
- ¹¹ Propter laborem animae eius
videbit, lucem saturabitur in scientia sua.
Iustificabit iustus servus meus multos
et iniquitates eorum ipse portabit.
- ¹² Ideo dispertiam ei multos,

et cum fortibus dividet spolia,
 pro eo quod tradidit in mortem animam suam
 et cum sceleratis reputatus est;
 et ipse peccatum multorum tulit
 et pro transgressoribus rogat.

RESPONSORIUM*

cf. *I&s 53, 7. 12*

R. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur,
 non aperuit os suum: traditus est ad mortem, * Ut vivificaret popu-
 lum suum.

V. Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputa-
 tus est. * Ut vivificaret.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatu Aelredi abbatis Rievallensis de Institutione inclusorum

(II pars, 31: CCLCM 1, 667)

Maria lavat pedes Iesu

Sed exeundum est hinc et ad Bethaniam veniendum, ubi sacratissima foedera amicitiae auctoritate Domini consecrantur. Diligebat enim Iesus Martham et Mariam et Lazarum. Quod ob specialis amicitiae privilegium qua illi familiariori adhaerebant affectu dictum, ne-
 mo qui ambigat. Testes sunt lacrimae illae dulces, quibus collacrimatus est lacrimantibus, quas totus populus amoris interpretabatur indi-
 cium, *Vide, inquiens, quomodo amabat eum.*

* H. 7661; BR, Sabb. Sancto, R. 1; LH, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 1.

Et ecce faciunt ei cenam ibi, et Martha ministrabat, Lazarus autem unus erat ex discubentibus, Maria autem sumpsit alabastrum unguenti, et fracto alabastro, effudit super caput Iesu.

Gaude, quaeso, huic interesse convivio; singulorum distingue officia: Martha ministrabat, discubuit Lazarus, ungit Maria. Hoc ultimum tuum est. Frange igitur alabastrum cordis tui, et quidquid habes devotionis, quiqid amoris, quidquid desiderii, quidquid affectio- nis, totum effunde super Sponsi tui caput, adorans in Deo hominem, et in homine Deum.

Si fremit, si murmurat, si invidet proditor, si perditionem vocat devotionem, non sit tibi curae. *Ut quid, ait, perditio haec? Posset hoc unguentum venumdari multo, et dari pauperibus.* Phariseus murmu- rat, invidens paenitenti; murmurat Iudas, invidens unguenti. Sed iu- dex accusationem non recepit, accusatam absolvit. *Sine, inquit, illam, bonum enim opus operata est in me.* Laboret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esurienti cibum, sitiensi potum, vestem algenti. Ego solus Mariae, et illa mihi, mihi totum praestet quod habet, a me quidquid optat expectet.

Quid enim? Tu ne Mariae consulis relinquendos pedes, quos tam dulciter osculatur! Avertendos oculos ab illa speciosissima facie quam contemplatur, amovendum auditum ab eius suavi sermone quo refi- citur?

RESPONSORIUM

Mc 14, 3. 6. 8-9

R. Venit mulier habens alabastrum unguenti spicati pretiosi, et fracto alabastro effudit super caput Iesu. Jesus autem ait: * Bonum opus operata est in me. Quod habuit haec, fecit: praevenit ungere corpus meum in sepulturam.

V. Ubi cumque praedicatum fuerit Evangelium in universo mun- do, et quod fecit haec narrabitur in memoriam eius. * Bonum opus.

FERIA TERTIA

Ad Officium lectionis

V et R. ut in LH, II, 352.

LECTIO PRIOR

Incipit liber Lamentationum

1, 1-12. 18-20

Ierusalem desolata

¹ Quomodo sedet sola
civitas plena populo!
Facta est quasi vidua
domina gentium;
princeps provinciarum
facta est sub tributo.

² Plorans plorat in nocte,
et lacrimae eius in maxillis eius;
non est qui consoletur eam
ex omnibus caris eius:
omnes amici eius spreverunt eam
et facti sunt ei inimici.

³ Migravit Iudas p[re] afflictione
et multitudine servitutis;
habitat inter gentes,
nec invenit requiem:
omnes persecutores eius apprehenderunt eam
inter angustias.

⁴ Viae Sion lugent,
eo quod non sint qui veniant ad sollemnitatem;
omnes portae eius destructae,
sacerdotes eius gementes,

virgines eius afflictæ,
et ipsa oppressa amaritudine.

⁵ Facti sunt hostes eius in caput,
inimici eius in securitate,
quia Dominus afflxit eam
propter multitudinem iniquitatum eius;
parvuli eius ducti sunt captivi
ante faciem tribulantis.

⁶ Et egressus est a filia Sion
omnis decor eius;
facti sunt principes eius velut cervi
non invenientes pascua
et abierunt absque fortitudine
ante faciem persequentis.

⁷ Recordata est Ierusalem
dierum afflictionis suae et peregrinationis,
omnium desiderabilium suorum,
quae habuerat a diebus antiquis,
cum caderet populus eius in manu hostili,
et non esset auxiliator;
viderunt eam hostes
et deriserunt interitum eius.

⁸ Peccatum peccavit Ierusalem
propterea abominabilis facta est;
omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam,
quia viderunt ignominiam eius:
ipsa autem gemens
conversa est retrorsum.

⁹ Sordes eius in fimbriis eius,
nec recordata est finis sui;
deposita est vehementer,
non habens consolatorem.
«Vide, Domine, afflictionem meam,
quoniam erectus est inimicus».

- ¹⁰ Manum suam misit hostis
ad omnia desiderabilia eius,
quia vidit gentes
ingressas sanctuarium suum,
de quibus praeceperas,
ne intrarent in ecclesiam tuam.
- ¹¹ Omnis populus eius gemens
et quaerens panem;
dederunt pretiosa quaeque pro cibo
ad refocillandam animam.
«Vide, Domine, et considera,
quoniam facta sum vilis!»
- ¹² O vos omnes, qui transitis per viam,
attendite et videte,
si est dolor sicut dolor meus,
quem paravit mihi,
quo afflxit me Dominus
- ¹³ Iustus est Dominus,
quia contra os eius rebellis fui.
Audite, obsecro, universi populi,
et videte dolorem meum:
virgines meae et iuvenes mei
abierunt in captivitatem.
- ¹⁴ Vocavi amicos meos,
et ipsi deceperunt me;
sacerdotes mei et senes mei
in urbe consumpti sunt,
quia quaesierunt cibum sibi,
ut refocillarent animam suam.
- ¹⁵ Vide, Domine, quoniam tribulor;
efferbuerunt viscera mea,
subversum est cor meum in memetipsa,
quoniam valde rebellis fui;

foris orbavit me gladius
et domi mors.

RESPONSORIUM*

Job 16, 17; Lam 1, 16. 18. 2

R. Caligaverunt oculi mei a fletu meo, quia elongatus est a me,
qui consolabatur me: Videte, omnes populi, * Si est dolor similis si-
cut dolor meus.

V. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte * Si est.

LECTIO ALTERA

Ex Explanationibus psalmorum sancti Ambrosii episcopi

(Ps. 39, 16: CSEL 64, 220-222)

In Christo homo videtur, Deus in operibus agnoscitur

Forte dicas: Quomodo in Evangelio dixit: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem hunc; sed non sicut ego volo sed sicut tu vis.* Et videtur quidem esse distantia voluntatis: verum intellegimus aliud esse quod secundum unitatem divinitatis exprimitur, ubi dicit: *Ego et Pater unum sumus*, aliud quod secundum hominis est locutus affectum, quem inbuilt cautum esse debere, nec praesumere quod facile implere non possit, ne, dum praemium quaerit, incidat sacrilegium. Unde ait: *Cum persequuntur vos in hac civitate, fugite in aliam.* Merito ergo et hic subiturus corporis passionem coepit contristari et moestus esse: et assumptis Petro et duobus filiis Zebedaei: *Tristis est anima mea, ante praemisit et subiecit postea: Vigilate et orate, ne intretis in temptationem. Spiritus promptus est, caro autem infirma.*

Vides ubique eum secundum hominem loqui, secundum hominem orare, secundum hominem tristem esse, secundum hominem dixisse: *Pater meus, si possibile est.* Quid utique non impossibile Deo?

* H. 6261; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 9.

sed hominis est dubitare, Dei confirmare. Ideo promptiores assump-
sit quasi electos ultimi iudicii sui testes, qui verborum eius agnosce-
rent sacramentum. Denique alii dormiebant, isti soli fida mente vigi-
labant. Unde et per Ieremiam nondum suscepto corpore ipse ait: *Ego
sicut agnus ductus sum et nescivi.*

Quid est quod nesciat sapientia Dei quae in arcano Patris semper
est? Et ideo enarravit omnia Filius Dei, quia Dei Patris ipse sapientia
est. Quomodo praescivit se sicut agnum esse ducendum, et quod du-
ceretur nescisse se dicit? Aut quomodo in superioribus per os ipsius
David ait: *Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* Quo-
modo derelinquitur a Patre Filius qui ait: *Et non sum solus, quia Pater
mecum est?* Et alibi: *Traditus sum, et non egrediebar?* Et alibi: *Exsurrexi
et adhuc tecum sum nisi ut advertas quod hominum sensum exprimit,*
qui putant se a Domino suo, quando sunt in periculis, derelictos.

Denique audi quod sequitur: *Longe, inquit, a salute mea verba de-
lictorum meorum;* hoc est: alia verba sunt delictorum, alia sacramenta
salutis aeternae. Non praeiudicant verba virtuti; suis viribus substan-
tia divina fulcitur: homo videtur, homo auditur, Deus in operibus
agnoscitur.

Et tu ergo, cum legis Evangelium, quasi sapiens et non stultus co-
gnosce quae legis: illuminet te sapientiae fulgor aeternae. Verba qui-
dem sunt, sed et ipsa mundant, et ipsa illuminant et ipsa confirmant
et ipsa vivificant. Unde ait Petrus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vi-
tae aeternae habes, et non relinquemus te.*

RESPONSORIUM**Mt 26, 30. 39. 41*

R. In monte Oliveti oravit ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat
a me calix iste: * Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

V. Vigilate, et orate, ut non intretis in temptationem. * Spiritus.

Oratio, ut in LH, II, 356.

* H. 6916; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 1.

FERIA QUARTA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 359.

LECTIO PRIOR

De libro Lamentationum

2, 1-9

Ira Dei contra Ierusalem

- ¹ Quomodo obtexit caligine in furore suo
Dominus filiam Sion!
Proiecit de caelo in terram
gloriam Israel
et non est recordatus scabelli pedum suorum
in die furoris sui.
- ² Praecipitavit Dominus,
nec pepercit omnia pascua Jacob;
destruxit in furore suo
munitiones filiae Iudae;
deiecit in terram, polluit
regnum et principes eius.
- ³ Confregit in ira furoris sui
omne cornu Israel;
avertit retrorsum dexteram suam
a facie inimici
et succedit in Jacob quasi ignem flammae
devorantis in gyro.
- ⁴ Tetendit arcum suum quasi inimicus,
firmavit dexteram suam quasi hostis

et occidit omne,
quod pulchrum erat visu
in tabernaculo filiae Sion;
effudit quasi ignem indignationem suam.

⁵ Factus est Dominus velut inimicus,
deglutivit Israel,
deglutivit omnia moenia eius,
dissipavit munitiones eius
et multiplicavit in filia Iudea
maerorem et maestitiam.

⁶ Et dissipavit quasi hortum saepem suam,
demolitus est tabernaculum suum;
oblivioni tradidit Dominus in Sion
festivitatem et sabbatum
et despexit in indignatione furoris sui
regem et sacerdotem.

⁷ Reppulit Dominus altare suum,
maledixit sanctuario suo;
tradidit in manu inimici
muros domorum eius:
vocem dederunt in domo Domini
sicut in die sollemni.

⁸ Cogitavit Dominus dissipare
murum filiae Sion:
tetendit funiculum,
non avertit manum suam a perditione:
et in luctum redegit antemurale et murum,
pariter elanguerunt.

⁹ Defixa sunt in terra portae eius;
perdidit et contrivit vectes eius.
Rex eius et principes eius in gentibus;
non est lex,
et prophetae eius non invenerunt
visionem a Domino.

RESPONSORIUM

Mt 23, 37; cf. Ier 19, 15

R. Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt. * Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.

V. Indurasti cervicem tuam, ut non audires sermones meos. *
Quoties.

LECTIO ALTERA

Ex Sermonibus beati Guerrici abbatis Igniacensis

(Sermo 2 in Ramis palmarum, 1: PL 185, 130-131)

Mibi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi

In his diebus in quibus anniversaria Dominicæ passionis et crucis memoria sollemniter celebratur, nihil, ut arbitror, convenientius praedicatur, quam Iesus Christus, et hic crucifixus. Nam et aliis quibuslibet diebus quid umquam potest praedicari fidelius? Quid audiri salubrius, tam medicinale moribus; quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit et roborat, sicut Crucifixi memoria?

Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientam in mysterio absconditam; mihi, cuius imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum, his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem et his qui salvi fiunt, plane Dei virtutem Deique sapientiam; mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi quam carnis sapientiam.

Quam perfectum me putarem, quam provectum in sapientia, si Crucifixi vel idoneus invenirer auditor, qui factus est nobis a Deo non solum sapientia, sed et iustitia, et sanctificatio et redemptio?

Omnino si Christo confixus es cruci, sapiens es, iustus es, sanctus es, liber es. An non sapiens qui, cum Christo exaltatus a terra, sapit et quaerit quae sursum sunt? An non iustus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultra non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non vere liber, quem Filius liberavit, qui de libertate conscientiae illam liberam vocem Filii sibi assumere confidit: *Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam?* Vere apud Crucifixum misericordia, et copiosa apud eum redemptio, qui sic redemit Israel ex omnibus iniqutatibus eius, et principis huius mundi calumnias liber evadere mereatur.

Dicant igitur qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos, dicant, inquam, voce et mente magistri sui: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

RESPONSORIUM*

cf. Gal 6, 14

R. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra: * Per quem salvati et liberati sumus.

V. Tuam Crucem adoramus, Domine, et recolimus tuam glorio-sam passionem. * Per quem.

Oratio, ut in LH, II, 366.

* H. 7238.

FERIA QUINTA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 366.

LECTIO PRIOR

De libro Zachariae prophetae 11, 4-14; 13, 4-7

Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis

11. ⁴Haec dicit Dominus Deus meus: « Pasce pecora occisionis. ⁵Quae, qui emunt, occidunt et non dolent; et, qui vendunt ea, dicunt: “Benedictus Dominus! Dives factus sum”. Et pastores eorum non miserentur eorum.

⁶Et ego non miserebor ultra super habitantes terram, dicit Dominus; ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui et in manu regis sui; et concident terram, et non eruam de manu eorum».

⁷Et ego pavi pecus occisionis pro mercatoribus gregis. Et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Gratiam et alteram vocavi Funiculum; et pavi gregem. ⁸Et succidi tres pastores in mense uno, et taeduit eorum animam meam; siquidem et animam eorum taeduit mei. ⁹Et dixi: «Non pascam vos. Quae moritura est, moriatur; et, quae succidenda est, succidatur; et reliquae devorent unaquaque carnem proximae suae». ¹⁰Et tuli virgam meam, quae vocabatur Gratia, et abscidi eam, ut irritum facerem foedus meum, quod percussi cum omnibus populis. ¹¹Et irritum factum est in die illa; et cognoverunt mercatores gregis, qui observabant me, quia verbum Domini est. ¹²Ed dixi ad eos: «Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam et, si non, quiescite». Et appenderunt mercedem meam triginta siclos argenteos. ¹³Et dixit Dominus ad me: «Proice illud in thesaurum, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis». Et tuli triginta siclos ar-

genteos et proieci illos in domum Domini in thesaurum.¹⁴ Et praecidi virgam meam secundam, quae appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Iudam et Israel.

13. ⁴Et erit: in die illa confundentur prophetae, unusquisque ex visione sua, cum prophetaverit; nec operientur pallio saccino, ut mentiantur, ⁵sed dicet: «Non sum propheta; homo operans terram ego sum, quoniam terra est possessio mea ab adulescentia mea». ⁶Et dicetur ei: «Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?». Et dicet: «His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me».

⁷Framea, suscitare super pastorem meum et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam contra parvulos.

RESPONSORIUM*

cf. *Ioel* 1, 8; *Is* 13, 9; *Ier* 25, 34

R. Plange quasi virgo, plebs mea: ululate, pastores, in cinere et cilicio: * Quia venit dies Domini, magna et amara valde.

V. Accingite vos, sacerdotes, et plangite ministri altaris; aspergite vos cinere. * Quia venit. Plange.

Loco huius lectionis Zachariae, qui feria VI in Passione Domini Officium lectionis non protrahunt ad modum vigiliae, legere possunt hodie quae sequuntur de Lamentationibus.

De libro Lamentationum

2,10-22

Miserabilis conditio civitatis et imploratio

¹⁰ Sederunt in terra,
conticuerunt senes filiae Sion,
consperserunt cinere capita sua,
accincti sunt ciliciis;

* H. 7387; BR, Sabb. Sancto, R. 3.

abiecerunt in terram capita sua
virgines Ierusalem.

¹¹ Defecerunt prae lacrimis oculi mei,
efferuerunt viscera mea;
effusum est in terra iecur meum
super contritione filiae populi mei,
cum deficeret parvulus et lactens
in plateis oppidi.

¹² Matribus suis dixerunt:
« Ubi est triticum et vinum? ».
Cum deficerent quasi vulnerati
in plateis civitatis,
cum exhalarent animas suas
in sinu matrum suarum.

¹³ Cui comparabo te vel cui assimilabo te,
filia Ierusalem?
Cui exaequabo te et consolabor te,
virgo filia Sion?
Magna est enim velut mare contritio tua;
quis medebitur tui?

¹⁴ Prophetae tui viderunt tibi
falsa et stulta;
nec aperiebant iniquitatem tuam,
ut converterent sortem tuam:
viderunt autem tibi oracula
mendacii et seductionis.

¹⁵ Plauerunt super te manibus
omnes transeuntes per viam;
sibilaverunt et moverunt caput suum
super filiam Ierusalem:
« Haecce est urbs, quam vocabant perfectum decorem,
gaudium universae terrae? ».

¹⁶ Aperuerunt super te os suum
omnes inimici tui;

sibilaverunt et fremuerunt dentibus
et dixerunt: « Devoravimus;
en ista est dies, quam exspectabamus:
invenimus, vidimus ».

¹⁷ Fecit Dominus, quae cogitavit;
complevit sermonem suum,
quem praeceperat a diebus antiquis:
destruxit et non pepercit.
Et laetificavit super te inimicum
et exaltavit cornu hostium tuorum.

¹⁸ Clamet cor tuum ad Dominum
super muros filiae Sion;
deduc quasi torrentem lacrimas
per diem et noctem.
Non des requiem tibi,
neque raceat pupilla oculi tui.

¹⁹ Consurge, lamentare in nocte
in principio vigiliarum,
effunde sicut aquam cor tuum
ante conspectum Domini;
leva ad eum manus tuas
pro anima parvolorum tuorum,
qui defecerunt in fame
in capite omnium compitorum.

²⁰ « Vide, Domine, et considera,
cui feceris ita;
ergone comedent mulieres fructum suum,
parvulos diligenter fovendos?
Num occidetur in sanctuario Domini
sacerdos et propheta?

²¹ Iacuerunt in terra foris
puer et senex;
virgines meae et iuvenes mei
ceciderunt in gladio:

interfecisti in die furoris tui,
percussisti, nec misertus es.

²² Vocasti quasi ad diem sollemnem,
qui terrorerent me de circuitu,
et non fuit in die furoris Domini,
qui effugeret et relinqueretur:
quos fovi et enutrivi,
inimicus meus consumpsit eos».

RESPONSORIUM*

Mt 26, 21. 24

R. Unus ex discipulis meis tradet me hodie. Vae illi per quem
tradar ego! * Melius illi erat si natus non fuisset.

V. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me traditurus
est in manus peccatorum. * Melius illi.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Leonis Magni papae

(Tract. 56 de Passione Domini, 2-3: CCL 138A, 330-333)

Magnae pietatis sacramentum

Admonitis discipulis Dominus, ut contra vim temptationis instantis
vigilanti oratione certarent, ipse Patri supplicans, ait: *Pater, si possibile
est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*
Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis: illud optavit ex nostro,
hoc elegit ex proprio: nec enim aequalis Patri Filius omnia esse Deo
possibilia nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc
mundum voluntate descenderebat, ut hanc diversarum affectionum
compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut

* H. 7809; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 6.

suscipientis susceptaeque naturae esset manifesta distinctio, quod erat hominis, divinam desideravit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, et cito demonstratum est quid possit a trepidante orari et quid non debeat a medente concedi.

Quia enim nos *quid oremus, sicut oportet, nescimus*, et utile nobis est ne fiat plerumque quod volumus; Deus iustus et bonus, quando ea quae nocitura sunt, petuntur, negando miseretur. Voluntatis ergo nostrae correctionem Dominus cum tria oratione firmasset, gravatis adhuc moerore discipulis: *Dormite iam, inquit, et requiescite. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surget, eamus. Ecce appropinquavit qui me tradet.*

Inter ipsa autem verba Domini, qui praedicti fuerant, irruerunt, et cum gladiis et fustibus comprehensura Christum turba confluxit, ducem sequens Iudam Iscarioth, qui privilegio perfidiae obtinuerat in facinore principatum. Huic ne causam criminis aliqua praebiceret offensio, nulla est negata dignatio; sed illius spiritu inflammatus exarsit, cui ministrum sponte se praebuit; et qualem habuit mentem, talem invenit et praesidem. Merito, sicut propheta praedixerat, *oratio eius facta est in peccatum*: quoniam consummato scelere, tam perversa ipsius conversio fuit, ut etiam paenitendo peccaret. Admittit ergo in se Filius Dei impias manus, et quod saevientium furore agitur, patientis potestate completur.

Hoc enim erat illud magnae pietatis sacramentum, quod Christus consectabatur iniuriis: quas si aperta potentia et manifesta virtute propelleret, divina tantum exerceret, non humana curaret. In omnibus autem quae illi popularis et sacerdotalis insania contumeliose et procaciter inferebat, nostrae diluebantur maculae, nostrae expiabantur offensae: quia natura, quae in nobis rea semper fuerat atque captiva, in illo innocens patiebatur et libera; ut ad auferendum peccatum mundi, ille hostiam se Agnus offerret, quem et omnibus corporalis substantia iungeret, et ab omnibus spiritualis origo discerneret.

RESPONSORIUM*

Mt 26, 55. 57

R. Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: * Quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis: et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum.

V. Cumque iniecissent manus in Iesum, et tenuisssent eum, dixit ad eos: * Quotidie.

Oratio, ut in LH, II, 370.

FERIA SEXTA IN PASSIONE DOMINI

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus invitatorius, ut in LH, II, 375.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Pange, lingua, Psalmodia et Versus ante lectiones*, ut in LH, II, 375-380.

LECTIO PRIOR

De Epistola ad Hebraeos 9, 11-28

Christus novi testamenti mediator in sanguine suo

Fratres:

¹¹Christus cum advenit pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non huius creationis, ¹²neque per sanguinem hircorum et vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione in-

* H. 7748; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 4.

venta. ¹³Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, ¹⁴quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.

¹⁵Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priore testamento, re promissionem accipient, qui vocati sunt aeternae hereditatis. ¹⁶Ubi enim testamentum, mors necesse est afferatur testatoris; ¹⁷testamentum autem in mortuis est confirmatum, nondum enim vallet, dum vivit, qui testatus est. ¹⁸Unde ne prius quidem sine sanguine dedicatum est; ¹⁹enuntiato enim omni mandato secundum legem a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum librum et omnem populum aspersit ²⁰dicens: «*Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*»; ²¹etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. ²²Et omnia paene in sanguine mundantur secundum legem, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

²³Necesse erat ergo figur as quidem caelestium his mundari, ipsa autem caelestia melioribus hostiis quam istis. ²⁴Non enim in manufacta Sancta Christus introivit, quae sunt similitudo verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; ²⁵neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno. ²⁶Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per sacrificium sui manifestatus est. ²⁷Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, ²⁸sic et Christus, semel oblatus ad multorum auferenda peccata, secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem.

RESPONSORIUM*

R. Viri impii dixerunt: Opprimamus virum iustum iniuste, et deglutiamus eum tamquam infernus vivum: auferamus memoriam illius de terra: et de spoliis eius sortem mittamus inter nos: ipsi enim homicidae thesaurizaverunt sibi mala. * Insipientes et maligni oderunt sapientiam: et rei facti sunt in cogitationibus suis.

V. Haec cogitaverunt, et erraverunt: excaecavit enim eos malitia eorum. * Insipientes.

Vel, si non habetur Vigilia protracta:

De libro Lamentationum

3, 1-33

Planctus et spes

- ¹ Ego vir videns paupertatem meam
in virga indignationis eius.
- ² Me minavit et adduxit
in tenebras et non in lucem.
- ³ Tantum in me vertit et convertit
manum suam tota die.
- ⁴ Consumpsit pellem meam et carnem meam,
contrivit ossa mea.
- ⁵ Aedificavit in gyro meo
et circumdedit me felle et labore.
- ⁶ In tenebris collocavit me
quasi mortuos sempiternos.
- ⁷ Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar,
aggravavit compedem meum.

* H. 7905.

- ⁸ Sed et cum clamavero et rogavero,
exclusit orationem meam.
- ⁹ Conclusit vias meas lapidibus quadris,
semitas meas subvertit.
- ¹⁰ Ursus insidians factus est mihi,
leo in absconditis.
- ¹¹ Semitas meas subvertit et confregit me,
posuit me desolatam.
- ¹² Tetendit arcum suum et posuit me
quasi signum ad sagittam.
- ¹³ Misit in renibus meis
filias pharetrae suaee.
- ¹⁴ Factus sum in derisum omni populo meo,
canticum eorum tota die.
- ¹⁵ Replevit me amaritudinibus,
inebriavit me absinthio.
- ¹⁶ Et fregit in glarea dentes meos,
depressit me cinere.
- ¹⁷ Et repulsa est a pace anima mea,
oblitus sum bonorum.
- ¹⁸ Et dixi: « Periit splendor meus
et spes mea a Domino ».
- ¹⁹ Recordare paupertatis et peregrinationis meae,
absinthii et fellis.
- ²⁰ Memoria memor est
et tabescit in me anima mea.
- ²¹ Haec recolam in corde meo,
ideo sperabo.
- ²² Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti,
quia non defecerunt miserationes eius.
- ²³ Novae sunt omni mane,
magna est fides tua.
- ²⁴ « Pars mea Dominus, dixit anima mea;
propterea exspectabo eum ».

- ²⁵ Bonus est Dominus sperantibus in eum,
animaे quaerenti illum.
- ²⁶ Bonum est praestolari cum silentio
salutare Domini.
- ²⁷ Bonum est viro, cum portaverit
iugum ab adulescentia sua.
- ²⁸ Sedebit solitarius et tacebit,
cum istud imponitur ei.
- ²⁹ Ponet in pulvere os suum,
si forte sit spes.
- ³⁰ Dabit percutienti se maxillam,
saturabitur opprobriis.
- ³¹ Quia non repellent in sempiternum
Dominus.
- ³² Quia si affixit, et miserebitur
secundum multitudinem misericordiarum suarum.
- ³³ Non enim humiliat ex corde suo
et affligit filios hominum.

RESPONSORIUM*

R. Viri impii dixerunt: Opprimamus virum iustum iniuste, et deglutiamus eum tamquam infernus vivum: auferamus memoriam ilius de terra: et de spoliis eius sortem mittamus inter nos: ipsi enim homicidae thesaurizaverunt sibi mala. * Insipientes et maligni oderunt sapientiam: et rei facti sunt in cogitationibus suis.

V. Haec cogitaverunt, et erraverunt: excaecavit enim eos malitia eorum. * Insipientes.

* H. 7905.

LECTIO ALTERA

Ex Expositione sancti Ambrosii episcopi in Lucam

(Lib. 10, 56. 59-62: CCL 14, 330-331)

Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam laetitiam largiretur

Pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret, et sequestrata delectatione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam laetitiam largiretur; et vestigiis nostris descendit usque ad mortis aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.

Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem praedico; neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem: *Homo enim in plaga, et sciens, inquit, ferre infirmitates.*

Denique ait: *Transfer a me calicem istum*, quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans; oportet enim mori non saeculo, ut resurgamus Deo, ut iuxta divinam sententiam lex maledictionis, resoluto in terrae limum naturae fine, solvatur. Quod autem ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

Suam ad hominem retulit: Patris, ad divinitatem; voluntas enim hominis temporalis, voluntas divinitatis aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas, ubi una divinitas. Disce tamen Deo esse subiectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placitum.

Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus: *Tristis est*, inquit, *anima mea*. Et alibi: *Nunc anima mea turbata est valde*. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur; anima enim obnoxia passionibus, divinitas libera. Denique, *Spiritus promptus, caro autem infirma*.

Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit corpus meum; non me fellit, ut aliud esset, aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat,

non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit, Scriptura declarat quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit.

Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas datus. Et ideo dixit: *Transfer hunc calicem a me;* non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia vel malos perire nolebat. Denique ait: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum,* ut passio sua esset omnibus salutaris.

RESPONSORIUM*

Is 53, 7. 8

R. Ecce quomodo moritur iustus, et nemo percipit corde: et viri iusti tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est iustus: * Et erit in pace memoria eius.

V. Tamquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum: de angustia et de iudicio sublatus est. * Et erit.

Ubi non fit Vigilia protracta, Oratio, ut in LH, II, 383.

Pro Vigilia protracta:

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

CANTICUM I

Lam 2, 13-19

Miserabilis conditio civitatis et Christi crucifixi humiliatio

¹³ Cui comparabo te vel cui assimilabo te,
filia Ierusalem?

Cui exaequabo te et consolabor te,
virgo filia Sion?

* H. 6605; BR, Sabb. Sancto, R. 6.

Magna est enim velut mare contritio tua;
quis medebitur tui?

¹⁴ Prophetae tui viderunt tibi
falsa et stulta
nec aperiebant iniquitatem tuam,
ut converterent sortem tuam;
viderunt autem tibi oracula
mendacii et seductionis.

¹⁵ Plauserunt super te manibus
omnes transeuntes per viam;
sibilaverunt et moverunt caput suum
super filiam Ierusalem:
« Haecce est urbs, quam vocabant perfectum decorem,
gaudium universae terrae? ».

¹⁶ Aperuerunt super te os suum
omnes inimici tui;
sibilaverunt et tremuerunt dentibus
et dixerunt: « Devoravimus;
en ista est dies, quam exspectabamus:
invenimus, vidimus ».

¹⁷ Fecit Dominus, quae cogitavit;
complevit sermonem suum,
quem praeceperat a diebus antiquis:
destruxit et non pepercit.
Et laetificavit super te inimicum
et exaltavit cornu hostium tuorum.

¹⁸ Clamet cor tuum ad Dominum
super muros filiae Sion;
deduc quasi torrentem lacrimas
per diem et noctem.
Non des requiem tibi,
neque taceat pupilla oculi tui.

¹⁹ Consurge, lamentare in nocte
in principio vigiliarum,

effunde sicut aquam cor tuum
 ante conspectum Domini;
 leva ad eum manus tuas
 pro anima parvolorum tuorum,
 qui defecerunt in fame
 in capite omnium compitorum.

CANTICUM II

Lam 3, 1-12

Ego vir videns paupertatem meam

- ¹ Ego vir videns paupertatem meam
 in virga indignationis eius.
- ² Me minavit et adduxit
 in tenebras et non in lucem.
- ³ Tantum in me vertit et convertit
 manum suam tota die.
- ⁴ Consumpsit pellem meam et carnem meam,
 contrivit ossa mea.
- ⁵ Aedificavit in gyro meo
 et circumdedit me felle et labore.
- ⁶ In tenebrosis collocavit me
 quasi mortuos sempiternos.
- ⁷ Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar,
 aggravavit compedem meum.
- ⁸ Sed et cum clamavero et rogavero,
 exclusit orationem meam.
- ⁹ Conclusit vias meas lapidibus quadris,
 semitas meas subvertit.
- ¹⁰ Ursus insidians factus est mihi,
 leo in absconditis.
- ¹¹ Semitas meas subvertit et confregit me,
 posuit me desolatam.
- ¹² Tetendit arcum suum et posuit me
 quasi signum ad sagittam.

CANTICUM III

Lam 3, 13-24

Recordare Domine, paupertatis meae, ideo speravi

- ¹³ Misit in renibus meis
filias pharetrae suae.
- ¹⁴ Factus sum in derisum omni populo meo,
canticum eorum tota die.
- ¹⁵ Replevit me amaritudinibus,
inebriavit me absinthio.
- ¹⁶ Et fregit in glare dentes meos,
depressit me cinere.
- ¹⁷ Et repulsa est a pace anima mea,
oblitus sum bonorum.
- ¹⁸ Et dixi: « Periit splendor meus
et spes mea a Domino ».
- ¹⁹ Recordare paupertatis et peregrinationis meae,
absinthii et fellis.
- ²⁰ Memoria memor est
et tabescit in me anima mea.
- ²¹ Haec recolam in corde meo,
ideo sperabo.
- ²² Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti,
quia non defecerunt miserationes eius.
- ²³ Novae sunt omni mane,
magna est fides tua.
- ²⁴ « Pars mea Dominus, dixit anima mea;
propterea exspectabo eum ».

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

Passio Domini ut in LH, II, 1815-1818, vel 1818-1820, vel 1821-1824. Oratione, ut in LH, II, 388. Conclusio Horae, ut in Ordinario.

SABBATO SANCTO

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus invitatorius, ut in LH, II, 399.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Christe, caelorum Domine*, Psalmodia et Versus ante lectiones ut in LH, II, 399–402.

LECTIO PRIOR

De Epistola ad Hebraeos

4, 1-16

Festinemus ingredi in requiem Domini

Fratres:

¹Timeamus, ne forte, relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse; ²etenim et nobis evangelizatum est quemadmodum et illis, sed non profuit illis sermo auditus, non commixtis fide cum iis, qui audierant. ³Ingredimur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit:

*«Sicut iuravi in ira mea:
Non introibunt in requiem meam»,*

et quidem operibus ab institutione mundi factis. ⁴Dixit enim quodam loco de die septima sic: «*Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis*»; ⁵et in isto rursum: «*Non introibunt in requiem meam*». ⁶Quoniam ergo superest quosdam introire in illam, et hi, quibus prioribus evangelizatum est, non introierunt propter inoboe-

dientiam, ⁷iterum terminant diem quendam, « Hodie », in David dicens post tantum temporis, sicut supra dictum est:

« *Hodie, si vocem eius audieritis,
nolite obdurare corda vestra* ».

⁸Nam si eis Jesus requiem praestitisset, non de alio loqueretur posthac die. ⁹Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei; ¹⁰qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.

¹¹Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in id ipsum quis incidat inobedientiae exemplum. ¹²Vivus est enim Dei sermo et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis; ¹³et non est creatura invisa in conspectu eius, omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.

¹⁴Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem. ¹⁵Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia secundum similitudinem absque peccato; ¹⁶adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilium opportunum.

RESPONSORIUM*

R. Recessit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cuius transitum sol obscuratus est; nam et ille captus est, qui captivum tenebat prius hominem: * Hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupt.

V. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaconi. * Hodie.

* H. 7509; BR, Sabb. Sancto, R. 4.

Vel:

De libro Lamentationum

5, 1-22

Oratio Ieremiae prophetae

- ¹ Recordare, Domine, quid acciderit nobis;
intuere et respice opprobrium nostrum.
- ² Hereditas nostra versa est ad alienos,
domus nostra ad extraneos.
- ³ Pupilli facti sumus absque patre,
matres nostra quasi viduae.
- ⁴ Aquam nostram pecunia bibimus,
ligna nostra pretio comparamus.
- ⁵ Iugum in cervicibus nostris minamur,
lassis non datur requies.
- ⁶ Aegyptiis dedimus manum et Assyriis,
ut saturaremur pane.
- ⁷ Patres nostri peccaverunt et non sunt,
et nos iniquitates eorum portamus.
- ⁸ Servi dominantur nostri;
non est qui redimat de manu eorum.
- ⁹ Vitae nostrae periculo afferimus panem nobis
a facie gladii in deserto.
- ¹⁰ Pellis nostra quasi clibanus exusta est
propter aestum famis.
- ¹¹ Mulieres in Sion humiliaverunt
et virgines in civitatibus Iudei.
- ¹² Principes manu eorum suspensi sunt;
facies senum honorem non habuerunt.
- ¹³ Adulescentes molam portaverunt,
et pueri sub lignis corruerunt.

- ¹⁴ Senes deficiunt de portis,
iuvenes de choro psallentium.
- ¹⁵ Defecit gaudium cordis nostri;
versus est in luctum chorus noster.
- ¹⁶ Cecidit corona capitis nostri;
vae nobis, quia peccavimus.
- ¹⁷ Propterea maestum factum est cor nostrum,
ideo contenebrati sunt oculi nostri,
- ¹⁸ propter montem Sion, quia desolatus est:
vulpes ambulant in eo.
- ¹⁹ Tu autem, Domine, in aeternum permanebis,
solium tuum in generationem et generationem.
- ²⁰ Quare in perpetuum oblivisceris nostri,
derelinques nos in longitudinem dierum?
- ²¹ Converte nos, Domine, ad te, et convertemur;
innova dies nostros sicut a principio.
- ²² Ergone proiciens reppulisti nos,
iratus es contra nos vehementer?

RESPONSORIUM*

R. Caligaverunt oculi mei a fletu meo, quia elongatus est a me
qui consolabatur me: Videte, omnes populi, * Si est dolor similis si-
cut dolor meus.

V. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte * Si
est.

* H. 6261; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 9.

LECTIO ALTERA

Ex antiqua Homilia in sancto et magno Sabbato

(PG 43, 439. 451. 462-463)

Domini in infernum descensio

Quid istud rei est? Hodie silentium magnum in terra; silentium magnum, et solitudo deinceps; silentium magnum, quoniam Rex dormit; terra timuit et quievit, quoniam Deus in carne obdormivit, et a saeculo dormientes excitavit. Deus in carne mortuus est, et infernum concitavit.

Profecto primum parentem tamquam perditam ovem quaesitum vadit. Omnino in tenebris et in umbra mortis sedentes invisere vult; omnino captivum Adam, unaque captivam Evam, ex doloribus solutum vadit Deus illiusque Filius.

Ingressus est Dominus ad eos, victricia arma crucis tenens. Quem ubi vidit Adam primus parens, praे stupore pectus verberans, exclamavit ad omnes, dixitque: «Dominus meus cum omnibus». Et respondens Christus dicit Adamo: «Et cum spiritu tuo». Et apprehensa manu excitat, dicens: «Experciscere, qui dormis, et surge a mortuis, et illucesceret tibi Christus.

Ego Deus tuus, qui propter te factus sum filius tuus; qui propter te, et propter hos, qui a te oriundi sunt, nunc dico, et per potestatem imperio iis qui in vinculis erant: Exite; et qui in tenebris: Illuminamenti; et sopitis: Resurgite.

Tibi praecipio: Experciscere, qui dormis: etenim non ideo te feci, ut in inferno continearis vinctus. Surge a mortuis; ego sum vita mortuorum. Surge, opus manuum mearum; surge, effigies mea, quae ad imaginem meam facta es. Surge, exeamus hinc; tu enim in me, et ego in te, una et indivisa sumus persona.

Propter te ego; Deus tuus, factus sum filius tuus; propter te, Dominus, servilem tuam speciem sumpsi; propter te, qui sum supra caelos, veni in terram, et subitus terram; propter te hominem factus sum

tamquam homo sine adiutorio inter mortuos liber; propter te, qui ex horto egressus es, ex horto Iudeis traditus, et in horto crucifixus sum.

Aspice faciei meae sputa, quae quidem propter te suscepi, ut te in pristinum illud spiraculum restituerem. Aspice mearum maxillarum alapas, quas sustinui, ut tuam corruptam speciem reformarem, ad imaginem meam.

Aspice mei tergi flagellationem, quam suscepi, ut dispergerem peccatorum tuorum onus, quod tergo tuo impositum est. Aspice clavis bene ad lignum affixas manus meas, propter te, qui manum tuam ad lignum male quondam extenderas.

Dormivi in cruce, et romphaea penetravit meum latus, propter te, qui in paradyso obdormisti, et Evam ex latere protulisti. Meum latus sanavit dolorem lateris. Meus somnus educet te ex inferni somno. Mea romphaea romphaeam coercuit, quae contra te vertebatur.

Surge, eamus hinc. Eduxit te hostis ex terra paradisi; ego vero te non amplius in paradyso, sed in caelesti throno colloco. Prohibuit te a ligno typico vitae; verum ecce ego, qui vita sum, tibi sum coniunctus. Constitui cherubim, qui famuli in morem custodirent te; facio ut cherubim pro eo ac Deum decet adorent te.

Cherubicus thronus apparatus est, geruli prompti et parati, thalamus constructus est, parati cibi, aeterna tabernacula et mansiones adornatae, thesauri bonorum aperti sunt, regnumque caelorum ante saecula paratum est».

RESPONSORIUM*

R. Aestimatus sum cum descendantibus in lacum; * Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.

V. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis. * Factus.

* H. 6057; BR, Sabb. Sancto, R. 8.

Ubi non fit Vigilia protracta, Oratio, ut in LH, II, 406.

Pro Vigilia protracta:

Ant. Dum tribularer, clamavi ad Dominum de ventre inferi, et exaudivit me.

CANTICUM I

Lam 3, 25-39

Bonum est praestolari cum silentio salutare Domini

- ²⁵ Bonus est Dominus sperantibus in eum,
animaे quaerenti illum.
- ²⁶ Bonum est praestolari cum silentio
salutare Domini.
- ²⁷ Bonum et viro, cum portaverit
iugum ab adulescentia sua.
- ²⁸ Sedebit solitarius et tacebit,
cum istud imponitur ei.
- ²⁹ Ponet in pulvere os suum,
si forte sit spes.
- ³⁰ Dabit percutienti se maxillam,
saturabitur opprobriis.
- ³¹ Quia non repellat in sempiternum
Dominus.
- ³² Quia si affixit, et miserebitur
secundum multitudinem misericordiarum suarum.
- ³³ Non enim humiliat ex corde suo
et affigit filios hominum.
- ³⁴ Conterere sub pedibus suis
omnes vinctos terrae.
- ³⁵ Declinare iudicium viri
in conspectu vultus Altissimi.
- ³⁶ Pervertere hominem in iudicio suo,
num Dominus haec ignorat?

- ³⁷ Quis est iste, qui dixit, et factum est?
Dominus non iussit?
- ³⁸ Ex ore Altissimi nonne egrediuntur
et mala et bona?
- ³⁹ Quid murmurabit homo vivens,
vir pro peccatis suis?

CANTICUM II

*Lam 3, 40-42. 49-60**Iudicasti, Domine, causam animae meae, redemisti vitam meam*

- ⁴⁰ « Scrutemur vias nostras et quaeramus
et revertamur ad Dominum.
- ⁴¹ Levemus corda nostra cum manibus
ad Dominum in caelos.
- ⁴² Nos inique egimus et rebelles fuimus;
idcirco tu inexorabilis fuisti.
- ⁴³ Oculus meus lacrimas effundit nec tacet,
eo quod non sit requies.
- ⁴⁴ Donec respiciat et videat
Dominus de caelis.
- ⁴⁵ Oculus meus affligit animam meam
prae cunctis filiabus urbis meae.
- ⁴⁶ Venatione venati sunt me quasi avem
inimici mei gratis.
- ⁴⁷ Perdiderunt in lacu vitam meam
et iecerunt lapides super me.
- ⁴⁸ Inundaverunt aquae super caput meum,
dixi: « Perii ».
- ⁴⁹ Invocavi nomen tuum, Domine,
de profunditate lacus.
- ⁵⁰ Vocem meam audisti: « Ne avertas
aurem tuam a singultu meo et clamoribus ».

- ⁵⁷ Appropinquasti in die, quando invocavi te,
dixisti: « Ne timeas ».
- ⁵⁸ Iudicasti, Domine, causam animae meae,
redemisti vitam meam.
- ⁵⁹ Vidisti, Domine, afflictionem meam;
iudica iudicium meum.
- ⁶⁰ Vidisti omnem furorem eorum,
universas cogitationes eorum adversum me.

CANTICUM III

*Lam 5, 1-7. 13-21**Oratio in tribulatione*

- ¹ Recordare, Domine, quid acciderit nobis;
intuere et respice opprobrium nostrum.
- ² Hereditas nostra versa est ad alienos,
domus nostra ad extraneos.
- ³ Pupilli facti sumus absque patre,
matres nostraes quasi viduae.
- ⁴ Aquam nostram pecunia bibimus,
ligna nostra pretio comparamus.
- ⁵ Iugum in cervicibus nostris minamur,
lassis non datur requies.
- ⁶ Aegyptiis dedimus manum et Assyriis,
ut saturaremur pane.
- ⁷ Patres nostri peccaverunt et non sunt,
et nos iniquitates eorum portamus.
- ¹³ Adulescentes molam portaverunt,
et pueri sub lignis curruerunt.
- ¹⁴ Senes deficiunt de portis,
iuvenes de choro psallentium.
- ¹⁵ Defecit gaudium cordis nostri;
versus est in luctum chorus noster.

- ¹⁶ Cecidit corona capitis nostri;
vae nobis, quia peccavimus!
- ¹⁷ Propterea maestum factum est cor nostrum,
ideo contenebrati sunt oculi nostri,
- ¹⁸ propter montem Sion, quia desolatus est:
vulpes ambulant in eo.
- ¹⁹ Tu autem, Domine, in aeternum permanebis,
solium tuum in generationem et generationem.
- ²⁰ Quare in perpetuum oblidisceris nostri,
derelinques nos in longitudinem dierum?
- ²¹ Converte nos, Domine, ad te, et convertemur;
innova dies nostros sicut a principio.

Ant. Dum tribularer, clamavi ad Dominum de ventre inferi, et exaudivit me.

Evangelium, ut in LH, II, 1824 vel 1825. Oratio, ut in LH, II, 410. Conclusio Horae, ut in Ordinario.

Anno II

TEMPUS QUADRAGESIMAE

HEBDOMADA SANCTA

*A I Vesperis dominicae in Palmis de Passione Domini usque ad Nonam feriae V
Hebdomadae sanctae inclusive:*

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus invitatorius, ut in LH, II, 330.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Pange, lingua*, et Psalmodia, ut in LH, II hebd. Psalterii.

**DOMINICA IN PALMIS
DE PASSIONE DOMINI**

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 335.

LECTIO PRIOR

De libro Ieremiae prophetae 22, 1-9; 23, 1-8

Contra malos reges, Rex iustus, filius David, promittitur

22. ¹Haec dicit Dominus: «Descende in domum regis Iudae et loqueris ibi verbum hoc ²et dices: Audi verbum Domini, rex Iudae, qui sedes super solium David, tu et servi tui et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. ³Haec dicit Dominus: Facite iudicium et iustitiam et liberate vi oppressum de manu expoliantis et advenam et

pupillum et viduam nolite affligere, neque opprimatis inique et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. ⁴Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus huius reges, sedentes de genere David super thronum eius et ascendentes currus et equos, ipsi et servi et populus eorum. ⁶Quod si non audieritis verba haec, in memetipso iuravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit dominus haec.

⁶Quia haec dicit Dominus super domum regis Iudee: Galaad tu mihi, caput Libani, verumtamen ponam te solitudinem, urbes inhabitabiles, ⁷et sanctificabo super te interficientem virum et arma eius, et succident electas cedros tuas et praecipitabunt in ignem.

⁸Et pertransibunt gentes multae per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: “Quare fecit Dominus sic civitati huic grandis?”. ⁹Et respondebunt: “Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui et adoraverint deos alienos et servierint eis”».

23. ¹«Vae pastoribus, qui disperdunt et dissipant gregem pascuae meae, dicit Dominus. ²Ideo haec dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dissipastis gregem meum et eieceristis eos et non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam operum vestrorum, ait Dominus. ³Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos, et convertam eos ad rura sua, et crescent et multiplicabuntur. ⁴Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos; non formidabunt ultra et non pavebunt, et nullus quaeretur ex numero, dicit Dominus.

⁵Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. ⁶In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustitia nostra.

⁷Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: “Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti!”, ⁸sed: “Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis et de cunctis terris! ad quas eieceram eos; et habitabunt in terra sua”».

RESPONSORIUM*

Zac 9, 9; Ier 23, 5

R. Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi, * Ipse pauper et ascendens super asinam.

V. Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. * Ipse.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Leonis Magni papae

(Tract. 70, 1.4. 5: CCL 138A, 426. 429-431)

Ibi se constitutus christianus quo eum secum sustulit Christus

Sacram, dilectissimi, dominicae passionis historiam evangelica, ut moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhaesisse pectoribus, ut unicuique audientium ipsa lectio quaedam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, ut ab his mente non desit, quibus corporalis praesentia interesse non potuit, et sive in praeteritum redeat, sive in futurum se cor credentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis. Adest ergo sensibus nostris imago rerum pro nostra salute gestarum, et quidquid tunc discipulorum perstrinxit animos, nostros quoque tangit affectus.

Huic sacramento, dilectissimi, ut inseparabiliter congruamus, magna nobis et animi et corporis intentione nitendum est ut cum gravissimi sit piaculi festum paschale neglegere, periculosius sit ecclesiasticis quidem conventibus iungi, sed in dominicae passionis consortio non haberi. Nam dicente Domino: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, et dicente Apostolo: *Si compatimur, et conregnabimus*, quis vere Christum passum, mortuum et resuscitatum colit, nisi qui cum ipso et patitur et moritur et resurgit?

Et haec quidem in omnibus Ecclesiae filiis, ipso iam regeneratio-

* Cf. B. Parisiense, Dom. Palmarum, R. 9.

nis sunt inchoata mysterio, ubi peccati interitus vita est renascentis, et triduanam Domini mortem imitatur tria demersio, ut dimoto quodam aggere sepulturae, quos veteres suscepit sinus fontis, eosdem novos edat unda baptismatis, sed implendum est nihilominus opere quod celebratum est sacramento, et natis de Spiritu Sancto quantumcumque superest mundani temporis, non sine crucis susceptione ducendum est.

Ibi ergo se constitutus christianus, quo eum secum sustulit Christus, et ad id dirigat omnem viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam. Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi, et sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur, ita in omnibus qui pro iustitia adversa tolerant ipse compatitur, nisi forte aestimandum est, multiplicata per orbem fide et rarescente impiorum numero, omnes persecutions, et omnia quae adversus beatos martyres saevierunt finita esse certamina, tamquam suscipiendae crucis illis tantum necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia.

Sed aliud servientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli praedicatio protestatur, qui dicit: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* Qua sententia nimis tepidus et segnis ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mundi habere non possunt et nulla umquam iniquitati cum aequitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nulla est tenebris cum luce consensio.

RESPONSORIUM

Hebr 2, 9; cf. 13, 13; Rom 8, 17

R. Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum. * Eamus igitur ad eum, improperium eius portantes.

V. Heredes sumus Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur. * Eamus.

Pro Vigilia protracta, Ant. et Cantica ut in LH, II, 1805-1808; Evangelium, ut in LH, II, 1814-1815. Oratio, ut in LH, II, 340.

FERIA SECUNDA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 334.

LECTIO PRIOR

De libro Ieremiae prophetae

26, 1-15

Ieremias in periculo mortis propter oraculum de ruina templi

¹In principio regni Ioachim filii Iosiae regis Iudae factum est verbum istud a Domino dicens: ²« Haec dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini et loqueris ad omnes civitates Iudae, de quibus veniunt, ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, ³si forte audiant et convertantur unusquisque a via sua mala, et paeniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam operum eorum. ⁴Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ⁵ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens et dirigens, et non audistis, ⁶dabo domum istam sicut Silo et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae ».

⁷Et audierunt sacerdotes et prophetae et omnis populus Ieremiam loquentem verba haec in domo Domini. ⁸Cumque complessset Ieremias loquens omnia, quae praeceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetae et omnis populus dicens: « Morte moriaris! ⁹Quare prophetasti in nomine Domini dicens: “ Sicut Silo erit domus haec, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator ”? ».

Et congregatus est omnis populus adversus Ieremiam in domo Domini. ¹⁰Et audierunt principes Iudae verba haec et ascenderunt de domo regis in domum Domini et sederunt in introitu portae domus

Domini Novae. ¹¹Et locuti sunt sacerdotes et prophetae ad principes et ad omnem populum dicentes: «Iudicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris». ¹²Et ait Ieremias ad omnes principes et ad universum populum dicens: «Dominus misit me, ut prophetarem ad domum istam et ad civitatem hanc omnia verba, quae audistis. ¹³Nunc ergo bonas facite vias vestras et opera vestra et audite vocem Domini Dei vestri, et paenitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos. ¹⁴Ego autem ecce in manibus vestris sum, facite mihi, quod bonum et rectum est in oculis vestris; ¹⁵verumtamen scitote et cognoscite quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos et contra civitatem istam et habitatores eius; in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec».

RESPONSORIUM*

Ps 53 (54), 5

R. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos proicerunt me, et non pepercerunt animae meae: congregati sunt adversum me fortes: * Et sicut gigantes steterunt contra me.

V. Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam. * Et sicut gigantes.

LECTIO ALTERA

Ex Sermonibus sancti Petri Chrysologi episcopi

(Sermo LXXII^{ta} de Passione Domini, 1.2.3-4: CCL 24A, 440-442)

Pro nobis posuit Christus quod suscepit ex nobis

Proxime cum dominicae passionis multas et acervas contumelias audiremus, cogitatione subito incidimus in illud, quale Deus, qui totum quod habet caelum, quod terra portat, quod capit mare, quod

* H. 7773; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 7.

tartarus ciebat, iussu fecit, imperio distinxit, mundum tantum composuit ad decorem, et ut sententiam mortis solveret imbre sacrae sanguinis desudavit? Origo rerum, auctor naturae, quare nasci voluit, nisi quia mori voluit? Quare Deus carnis inbecilla suscepit, nisi quia carnis elegit iniurias? Quare totius dominus creaturae formam servitutis intravit, nisi ut totas servitutis iniurias sustineret? Adiudicari iudex, cognitor diligit addici quando se a perditis passus est iudicari. Quae patiendi necessitas ubi salvandi inest et possibilitas et potestas? Aut qua ibi moriendi causa est, ubi vivificandi virtus est et facultas?

Non sufficit passio communis, non mors secreta, non mors simplex, non mors morti similis; nisi ut quanta erat patientis singularitas, tanta esset et singularitas passionis. Actum est ut auctor saeculi saeculo teste moreretur, et a mundo mundi dominus ante per poenam quam per gloriam nosceretur. Pax caeli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus, ducitur adtrahens universa, a falso veritas accusatur, sistitur cui adsistunt omnia. Indaei gentibus tradunt, reddunt gentes Iudeis; Herodi mittit Pilatus, remittit Heroes Pilato, et commercium fit impietatis pietas, sanctitas in nudinam crudelitatis perducitur. Flagellatur remissio, condemnatur venia, inluditur maiestas, ridetur virtus; perfunditur largitor imbrium spuitis, clavis ferri caeli strator adfigitur, mellis dator cibatur felle, propinator fontium potatur aceto; et cum nil iam restat ex paenis, mors refugit, mors moratur, quia suum ubi esset nil sentit. Suspecta est vetustate novitas; hunc primum, hunc solum vidit hominem peccati ne- scium, noxa liberum, iuris sui legibus nil debentem. Miratur in terra, quem de terrenis conspicit nil habere.

Sed iam quae promissa sunt inchoemus: quare ad mortem, et ad talem mortem Deus Pater miserit Filium suum? Quare tam contumeliosae subcubuerit passioni? Quare Spiritus Sanctus conregnantem una sibi deitate Christum ad carnis iniuriam tantam permiserit pervenire? Orate, fratres, ut dignatione, qua passus est, passionis suaे revealat arcanum, et causam nobis omnibus tam sacrae mortis inspiret.

Primum quidem nobis est intuendum, rex quando gloriosior? Quando indutus purpura, diadema decorus, aspersus auro, solio su-

blimis, ad pompam tantum parat ire, sedet in secretum? An quando in campum communis cultu, honore ultimus, periculis primus, onustus ferro, gravis armis, pro patria, pro civibus, pro liberis, pro vita omnium perimit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscipit ad salutem ut maiorem contemptu mortis quam de ipso hoste victoriam referat et triumphum? Et quare displicet, si Christus de sinu Patris, de deitatis secreto ad nostram servitatem venit, ut nos suae redderet libertati, nostram mortem suscepit, ut nos eius morte viveremus; quando nos respectu mortis mortales in Deo retulit, terrenos caelestibus aestimavit? Et quomodo Deus Christum ad iniuriam vocat tantam; quod homines tantam tollit et extollit ad gloriam? Sed dicit aliquis: Habet hoc necessitas humana, divina non habet hoc potestas. Verum dicit; divina non habet hoc potestas, sed necessitudo habet et recipit hoc divina. *Nemo, inquit, habet maiorem caritatem, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.* Miraris, si pro nobis posuit quod suscepit ex nobis qui fecit propter nos tanta, et talia largitus est nobis? Quantum virtus, potestas, magnificentia creantis operum contemplatione lucebat, tantum latebat dilectio Dei; tantum Dei caritas habebatur obscura. Subiectis dare, donare servis, est adsuetum donantis indicium; pati pro subiectis, pro servis mori, insigne est caritatis immensae, documentum singularis est hoc amoris.

RESPONSORIUM*

R. Eram quasi agnus innocens; ductus sum ad immolandum, et nesciebam. Consilium fecerunt inimici mei adversum me, dicentes:
* Venite, mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.

V. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes: * Venite.

Oratio, ut in LH, II, 349.

* H. 6660; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 7.

FERIA TERTIA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 352.

LECTIO PRIOR

De libro Ieremiae prophetae

8, 13 - 9, 8

Lamentatio de vinea Domini

8. ¹³ « Congregans congregabo eos,
ait Dominus;
non est uva in vitibus
et non sunt ficus in ferculnea,
folium defluxit,
et dabo eis gradientes super eos.

¹⁴ « Quare sedemus?
Convenite, et ingrediamur civitates munitas
et pereamus ibi,
quia Dominus Deus noster tradidit nos in interitum
et potum dedit nobis aquam fellis;
peccavimus enim Domino.

¹⁵ Exspectavimus pacem, et non est bonum,
tempus medelae, et ecce formido ».

¹⁶ A Dan auditus est fremitus equorum eius,
a voce hinnituum pugnatorum eius
commota est omnis terra;
et venient et devorabunt terram et plenitudinem eius,
urbem et habitatores eius.

¹⁷ Quia ecce ego mittam vobis

serpentes regulos,
quibus non est incantatio,
et mordebunt vos»,
ait Dominus.

¹⁸ Hilaritas mea facta est dolor in me,
cor meum maerens.

¹⁹ Ecce vox clamoris filiae populi mei
de terra longinqua:

«Numquid Dominus non est in Sion?
Aut rex eius non est in ea?».

«Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis
et in vanitatibus alienis?».

²⁰ «Transiit messis, finita est aestas,
et nos salvati non sumus».

²¹ Super contritione filiae populi mei
contritus sum et contristatus;
stupor obtinuit me.

²² Numquid resina non est in Galaad?
Aut medicus non est ibi?
Quare enim non est obducta
cicatrix filiae populi mei?

²³ Quis dabit capiti meo aquam
et oculis meis fontem lacrimarum,
et plorabo die ac nocte
interfectos filiae populi mei?

9. ¹ Quis dabit mihi in solitudine deversorum viatorum,
et derelinquam populum meum et recedam ab eis?
Quia omnes adulteri sunt,
coetus praevericatorum.

² «Et tenderunt linguam suam quasi arcum;
mendacium, et non veritas, invaluit in terra,
quia de malo ad malum egressi sunt
et me non cognoverunt,
dicit Dominus.

- ³ Unusquisque se a proximo suo custodiat
et in omni fratre suo non habeat fiduciam,
quia omnis frater supplantat,
et omnis amicus fraudulenter incedit,
- ⁴ et vir fratrem suum decipit,
et veritatem non loquuntur;
docuerunt enim linguam suam loqui mendacium,
inique egerunt, noluerunt converti.
- ⁵ Iniuria super iniuriam,
dolus super dolum.
Renuerunt scire me»,
dicit Dominus.
- ⁶ Propterea haec dicit Dominus exercituum:
«Ecce ego conflabo et probabo eos;
quid enim aliud faciam filiae populi mei?
- ⁷ Sagitta vulnerans lingua eorum;
dolum locuta est in ore suo:
pacem cum amico suo loquitur
et occulite ponit ei insidias.
- ⁸ Numquid super his non visitabo eos,
dicit Dominus,
aut in gente huiusmodi
non ulciscetur anima mea? ».

RESPONSORIUM*

cf. *Is 5, 1-2; Mt 21, 33*

R. Vinea mea electa, ego te plantavi: * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me crucifigeres et Barabbam dimitteres?

V. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim. * Quomodo.

* H. 7887; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 3.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatu sancti Cypriani episcopi De bono patientiae

(nn. 6-7: CCL 3A, 121-122)

*Usque ad finem perseveranter ac iugiter tolerantur omnia
ut consummetur in Christo plena et perfecta patientia*

Qui ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, inter cetera mirabilia virtutum quibus indicia divinae maiestatis expressit paternam quoque patientiam tolerantiae tenore servavit. Omnis actus eius ab ipso statim adventu patientia comite signatur, quod primum de illa sublimitate caelesti ad terrena descendens non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere et cum peccator ipse non esset aliena peccata portare.

Immortalitate interim posita fieri se mortalem patitur ut innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur a servo et remissam peccatorum datus ipse non dignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta ieiunat per quem ceteri saginantur; esurit et famem sentit, ut qui in fame sermonis et gratiae fuerant caelesti pane saturarentur. Cum diabolo temptante congreditur, et inimicum tantum vicesse contentus nihil ultra verba conatur.

Discipulis non ut servis Dominica potestate praefuit, sed benignus et mitis fraterna eos caritate dilexit, dignatus etiam pedes apostolorum lavare, ut dum circa servos talis est Dominus, exemplo suo doceret qualis circa compares et aequales debeat esse conservus.

Nec mirandum quod circa obaudientes talis exsisterit qui Iudam potuit usque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico capere, hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare.

Sub ipsa autem passione et cruce, priusquam ad crudelitatem necis et effusionem sanguinis veniretur, quae conviciorum proba patien-

ter audita, quae contumeliarum tolerata ludibria, ut insultantium sputamina exciperet, qui sputo suo caeci oculos paulo ante formasset, et cuius nomine cum eius a servis diabolus cum angelis suis flagellatur flagella ipse pateretur, coronaretur spinis qui martyras floribus coronat aeternis, palmis in faciem verberaretur qui palmas veras vincen- tibus tribuit, spoliaretur veste terrena qui indumento immortalitatis ceteros vestit, cibaretur felle qui cibum caelestem dedit, aceto potare- tur qui salutari poculo propinavit.

Ille innocens, ille iustus, immo innocentia ipse et ipse iustitia inter facinorosos deputatur et testimoniis falsis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, et Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contreme- scat terra, nox diem cludat, ille non loquitur nec movetur nec maie- statem suam sub ipsa saltem passione profitetur; usque ad finem per- severanter ac iugiter tolerantur omnia ut consummetur in Christo plena et perfecta patientia.

RESPONSORIUM*

Ps 68 (69), 8-10.15

R. Deus Israel, propter te sustinui improperium, operuit confu- sio faciem meam: extraneus factus sum fratribus meis: * Quoniam ze- lus domus tuae comedit me.

V. Intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me. * Quoniam zelus domus tuae.

Oratio, ut in LH, II, 356.

* H. 7887.

FERIA QUARTA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 359.

LECTIO PRIOR

De libro Ieremiae prophetae

11, 18-20;12,1-13

Effusio animae prophetae

11. ¹⁸ Tu, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi;
tunc ostendisti mihi opera eorum.

¹⁹ Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; et non cognovi quia super me cogitaverunt consilia: «Caedamus lignum in vigore eius et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius».

²⁰ Tu autem, Domine exercituum,
qui iudicas iuste et probas renes et corda:
videam ultiōnem tuam ex eis;
tibi enim revelavi causam meam.

12. ¹ Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum;
verumtamen de iudiciis loquar ad te.

Quare via impiorum prosperatur?
Bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt.

² Plantasti eos et radicem miserunt,
proficiunt et faciunt fructum;
prope es tu ori eorum
et longe a renibus eorum.

³ Et tu, Domine, nosti me, vidisti me
et probasti cor meum tecum;
segrega eos quasi gregem ad victimam
et sanctifica eos in diem occisionis.

- ⁴ Usquequo lugebit terra
et herba omnis regionis siccabitur
propter malitiam habitantium in ea?
Consumptum est animal et volucre,
quoniam dixerunt: « Non videbit novissima nostra ».
- ⁵ « Si cum peditibus currens laborasti,
quomodo contendere poteris cum equis?
Cum autem in terra pacis securus fueris,
quid facies in silva condensa Iordanis?
- ⁶ Nam et fratres tui et domus patris tui,
etiam ipsi fraudulenter egerunt adversum te
et clamaverunt post te plena voce;
ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona ».
- ⁷ « Reliqui domum meam,
dimisi hereditatem meam;
dedi dilectam animae meae
in manu inimicorum eius.
- ⁸ Facta est mihi hereditas mea
quasi leo in silva;
dedit contra me vocem, ideo odivi eam.
- ⁹ Numquid avis discolor hereditas mea mihi?
Numquid aves in circuitu contra eam?
Venite, congregamini, omnes bestiae campi,
properate ad devorandum.
- ¹⁰ Pastores multi demoliti sunt vineam meam,
conculcaverunt partem meam;
dederunt portionem meam desiderabilem
in desertum solitudinis.
- ¹¹ Posuerunt eam in dissipationem;
lugetque coram me desolata,
vastata est omnis terra,
quia nullus est qui recognitet corde ».
- ¹² Super omnes colles in deserto venerunt vastatores,
quia gladius Domini devorat

ab extremo terrae usque ad extremum eius;
non est pax universae carni.

¹³ Seminaverunt triticum et spinas messuerunt,
laboraverunt et non eis proderit;
confundemini a fructibus vestris
propter iram furoris Domini.

RESPONSORIUM

Io 12, 27-28; Ps 41 (42), 6

R. Nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater, salvifica
me ex hac hora; sed propterea veni in horam hanc. * Pater, clarifica
nomen tuum.

V. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbaris in me?
* Pater.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Augustini episcopi in Ioannis Evangelium

(Tract. 62,4.6; 63,2-3: CCL 36,484-485.487)

Iudae proditio

Cum Dominus panis vivus panem mortuo tradidisset, et panem
tradendo panis traditorem ostendisset: *Quod facis, inquit, fac citius.*
Non praecepit facinus, sed praedixit Iudae malum, nobis bonum.
Quid enim Iudae peius, et quid nobis melius quam traditus Christus,
ab illo adversus illum, pro nobis praeter illum? *Quod facis, fac citius.*
O verbum libentius parati, quam irati! o verbum non tam poenam
exprimens proditoris, quam mercedem significans redemptoris! Dixit
enim: *Quod facis, fac citius, non tam in perniciem perfidi saeviendo,*
quam ad salutem fidelium festinando; quia traditus est propter delic-
ta nostra, et dilexit ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea. Unde et.

de seipso dicit apostolus: *Qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me.* Nisi ergo se traderet Christus, nemo traderet Christum. Quid habet Iudas, nisi peccatum? Neque enim in tradendo Christo salutem nostram cogitavit, propter quam traditus est Christus, sed cogitavit pecuniae lucrum, et invenit animae detrimentum.

Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox. Et ipse qui exivit, erat nox. *Cum ergo exisset nox, ait Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis.* Dies ergo diei eructavit verbum, id est, Christus discipulis fidelibus, ut audirent eum, et amarent sequendo; et nox nocti annuntiavit scientiam, id est, Iudas Iudeis infidelibus ut venirent ad eum, et apprehenderent persequendo.

Nunc, inquit, clarificatus est Filius hominis, tamquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quod erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum: Nunc significata est clarificatio Filii hominis; sed dictum est: *Nunc clarificatus est Filius hominis,* quemadmodum non est dictum: Petra significabat Christum; sed: *Petra erat Christus.* Nec dictum est: Bonum semen significabat filios regni, aut, zizania significabant filios maligni; sed dictum est: *Bonum semen hi sunt filii regni; zizania autem, filii maligni.* Sicut ergo solet loqui scriptura, res significantes tamquam illas quae significantur appellans, ita locutus est Dominus dicens: *Nunc clarificatus est Filius hominis,* posteaquam separato inde nequissimo, et secum remanentibus sanctis, significata est glorificatio eius, quando separatis ini quis manebit in aeternitate cum sanctis.

Cum autem dixisset: *Nunc clarificatus est Filius hominis,* adiunxit: *Et Deus clarificatus est in eo.* Ipsa est enim clarificatio filii hominis, ut Deus clarificetur in eo. Si enim non ipse in seipso, sed Deus in illo clarificatur, tunc illum Deus in se clarificat. Denique tamquam ista exponens, adiungit, et dicit: *Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso.* Hoc est: *Si Deus clarificatus est in eo,* quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit illum; *et Deus clarificabit eum in semetipso,* ut natura humana in qua est filius hominis, quae a Verbo aeterno suscepta est, etiam immortalis aeternitate donetur. *Et continuo, inquit, clarificabit eum.*

RESPONSORIUM*

cf. *Lc* 22, 47. 48; *Mc* 14, 21

R. Iudas, mercator pessimus, osculo petiit Dominum: ille, ut agnus innocens, non negavit Iudae osculum: * Denariorum numero Christum Iudeis tradidit.

V. Melius illi erat, si natus non fuisset. * Denariorum.

Oratio, ut in LH, II, 366.

FERIA QUINTA

Ad Officium lectionis

V. et R. ut in LH, II, 366.

LECTIO PRIOR

De libro Zachariae prophetae 11, 4-14; 13, 4-7

Ut in anno I.

Vel:

De libro Ieremiae prophetae 15, 10-21

Lamentatio prophetae. Vocatio eius iteratur

¹⁰ Vae mihi, mater mea,
quoniam genuisti me virum rixae
et virum discordiae in universa terra!
Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam;
omnes maledicunt mihi.

¹¹ Amen, Domine, ministravi tibi in bonum,

* H. 7041; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 5.

intercessi apud te in tempore afflictionis
et in tempore tribulationis pro inimico.

¹² Numquid frangitur ferro
ferrum aquilonis et aes?

¹³ «Divitias tuas et thesauros tuos
in direptionem dabo gratis,
propter omnia peccata tua,
in omnibus terminis tuis.

¹⁴ Et servire te faciam inimicis tuis
in terra, quam nescis,
quia ignis succensus est in furore meo;
super vos ardebit».

¹⁵ Tu scis, Domine,
recordare mei et visita me
et vindica me de his, qui persequuntur me;
noli in patientia tua abripere me,
scito quoniam sustinui pro te opprobrium.

¹⁶ Inventi sunt sermones tui, et comedi eos,
et factum est mihi verbum tuum
in gaudium et in laetitiam cordis mei,
quoniam invocatum est nomen tuum super me,
Domine Deus exercituum.

¹⁷ Non sedi in concilio ludentium
et gloriatus sum;
a facie manus tuae solus sedebam,
quoniam indignatione replesti me.

¹⁸ Quare factus est dolor meus perpetuus,
et plaga mea desperabilis renuit curari?
Factus es mihi quasi rivus mendax,
aquaee infideles.

¹⁹ Propter hoc haec dixit Dominus:
«Si converteris, convertam te,
et ante faciem meam stabis;
et si separaveris pretiosum a vili,

quasi os meum eris;
convertentur ipsi ad te,
et tu non converteris ad eos.

²⁰ Et dabo te populo huic
in murum aereum fortē;
et bellabunt adversum te
et non praevalebunt,
quia ego tecum sum,
ut salvem te et eruam te,
dicit Dominus.

²¹ Et liberabo te de manu pessimorum
et redimam te de manu fortium ».

RESPONSORIUM*

Mt 26, 38. 45

R. Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum: nunc videbitis turbam, quae circumdabit me: * Vos fūgam capietis, et ego vadām immolari pro vobis.

V. Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. * Vos fugam.

LECTIO ALTERA

Ex Hymnis sancti Ephraem diaconi

(Hymnus de Crucifixione, 3, 3-14: CSCO 249/109, 40-42; versio Lamy)

In honorem cenaculi

Beatus es, o loce, quia in te libra veritatis duas lances possedit. Paschata duo fuerunt, duo agni, duo populi, duaeque liberationes. Populus (Israel), sicut pascha ejus, agnum habuit temporalem et cum il-

* H. 7780; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 2.

lo transiit et defecit. Liberatio populorum veritas est quae nec infatuatur nec languescit, quia agnus Dei non transit.

Beatus es, quia duo discipuli missi sunt ut te ad cenam suam designarent. Posthabitae fuerunt aedes a Salomone aedificatae Herodisque palatia; gratam sibi puritatem vidi in te et in medio tui invenit sanctitatem; fidei tuae largitus est praestantissima suae benedictionis dona in mercedem tui ministerii.

Beatus es, o iuste loce, quia in te Dominus noster fregit corpus suum. Parvus locus spectaculum datum est universo mundo illumque replevit; per Moysen e monte glorioso datum est foedus exiguum, foedus vero magnum ex habitaculo exiguo egressum est et implevit terram.

Omnia quae Moyses gessit, utpote figurae, infirma erant. Oportuit porro figuras crescere, ne despicerentur donec earum adimpletio contingret. At in contrarium oportuit magnitudinem nostri Salvatoris imminui, quia natura Dei gloria a creaturis cerni nequit nisi sub infirmitatis velo.

In te rursus apparuit Abrahae quando currit ad pecus et attulit vitulum angelis. Seraphim trepidarunt videntes Filium sindone renes accinctum pedes discipulorum in pelvi lavantem. Nec os valet dicere nec lingua narrare quomodo propalata est immunditia furis qui tradidit eum.

Dominus noster membra fratrum in pelvi abluit in signum concordiae. Hoc eodem signo extirpatum fuit membrum quod voluntarie seipsum abscidit et prodidit...

O beate loce! Tua angustia universo mundo opponi potest; quod in te continetur, quantumvis parvum sit, totum mundum replet. Beatum habitaculum tuum, in quo manu benedicta fractus est panis! In te acinus e Maria ortus in calice salutis compressus est.

O beate loce! Non vidit quis nec videbit quod vidisti: Dominum nempe altare verum, sacerdotem, panem ac calicem salutis effectum. Ipse per se sufficit omnibus et nemo ei sufficere potest, ipse altare est et agnus, victima et sacrificator, sacerdos et esca.

O beatum locum! in quo agnus paschatis occurrit agno veritatis;

symbolum quippe lassitudinis in sinum quietum ingressum est et in illo inclusum. Beatum habitaculum in quo peractum est pascha, quod sibi simile numquam habuit. Agnus temporalis suam potestatem exuit eamque tradidit agno Dei.

O beate loce! qualis tua mensa fuit nulla umquam parata est nec apud reges, nec in tabernaculo, nec in sancto sanctorum. In te panis primitiarum fractus est; tu fuisti prima Christi ecclesia, primumque altare; prima omnium oblationum in te visa fuit.

O beatum locum! in quo, dum Filius corona fratrum cinctus erat, unus eximius, virginitatis flos, propter bonum suum odorem in sinu eius iacebat. Quum omnes essent flores pulcherrimi, flos sanctitatis maxime amoenus erat. Exivit porro inde zizanium foetidum et cum eo foetor ejus.

In te etiam, o loce, declarata est certissima illa distinctio quae fiet in iudicio; nocte quippe separavit se filius tenebrarum et caligine ipsi congrua se involvit. Ira abreptus ater haedorum princeps surrexit et exivit nec reversus est. In iudicio separabuntur haedi, eius soboles, ab agnis lucis.

RESPONSORIUM

Lc 22, 10-12. 15

R. Occurrit vobis homo amphoram aquae portans, sequimini eum in domum in qua intret, et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Ubi est divisorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? * Et ipse ostendet vobis cenaculum magnum stratum, et ibi parate.

V. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. * Et ipse.

Oratio, ut in LH, II, 370.

FERIA SEXTA IN PASSIONE DOMINI

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus ut in anno I.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Pange, lingua, Psalmodia et Versus ante lectiones*, ut in anno I.

LECTIO PRIOR, ut in anno I.

RESPONSORIUM*

cf. *Is 53, 2. 4. 5*

R. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem: aspectus eius in eo non est. Hic peccata nostra portavit et pro nobis dolens: ipse autem vulneratus est propter iniurias nostras: * Cuius livore sanati sumus.

V. Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit. * Cuius livore.

Vel:

De libro Ieremiae prophetae

16, 1-15

Solitudo prophetae

¹ Et factum est verbum Domini ad me dicens: ²«Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiae in loco isto. ³Quia haec dicit Dominus super filios et filias, qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quae genuerunt eos, et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac: ⁴Mortibus aegrotationum morientur, non plangentur et non sepelientur; in sterquilinium super faciem terrae erunt et gladio et fame consumentur, et erit cadaver eorum in

* H. 6618; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 3.

escam volatilibus caeli et bestiis terrae». ⁵Haec enim dixit Dominus: « Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque lugebis eos, quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam et miseraciones. ⁶Et morientur grandes et parvi in terra ista, non sepelientur neque plangentur et non se incident, neque calvitium fiet pro eis. ⁷Et non frangent lungenti panem ad consolandum super mortuo et non dabunt ei calicem ad consolandum super patre suo et matre. ⁸Et domum convivii non ingredieris, ut sedeas cum eis et comedas et bibas. ⁹Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris et in diebus vestris vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae.

¹⁰Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba haec, et dixerint tibi: « Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? Quae iniquitas nostra et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro? », ¹¹dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos et servierunt eis et adoraverunt eos et me dereliquerunt et legem meam non custodierunt. ¹²Sed et vos peius operati estis quam patres vestri: ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiatur. ¹³Et eiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis, vos et patres vestri; et servietis ibi diis alienis, die ac nocte, quia non dabo vobis gratiam.

¹⁴Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur ultra: « Vivit Dominus, quis eduxit filios Israel de terra Aegypti! », ¹⁵sed: « Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra aquilonis et de universis terris, ad quas eieci eos! ». Et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.

RESPONSORIUM*

cf. *Is* 53, 2. 4. 5

R. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem: aspectus eius in eo non est. Hic peccata nostra portavit et pro nobis

* H. 6618; BR, Feria V, Hebd. sanctae, R. 3.

dolens: ipse autem vulneratus est propter iniurias nostras: * Cuius livore sanati sumus.

V. Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit. * Cuius livore.

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Leonis Magni papae

(Tract. 59, 4-7: CCL 138A, 354-359)

O mirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria Passionis

Traditus est Dominus Iesus saevientium voluntati et ad inrisiōnem regiae dignitatis crucis suae iussus est esse gestator, quia scilicet dignus hoc esset obbrobrio cui gloria in ignominiam verteretur.

Erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestantur fidelibus grande mysterium, quia gloriosissimus diaboli vīctor et inimicorum spirituum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat tropaeum, et invictae patientiae humeris sīgnūm salutis adorandum regnis omnibus inferebat, tamquam et tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret et diceret: *qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.*

Pascha ergo nostrum, sicut ait Apostolus, *immolatus est Christus*, qui se novum et verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo cuius iam erat finita reverentia, nec intra septa civitatis ob meritum sui sceleris diruendae, sed *foris extra castra* crucifixus est, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponetur altari, et crux Christi non templi esset ara, sed mundi.

Exaltato igitur, dilectissimi, per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quae fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos et timebis die et nocte, et non credes vitae tuae.* Isti enim nihil in crucifixo Domino praeter facinus suum cogitare potue-

runt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem Spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis caelo terraque radiantem puro ac libero corde suscipiat, et interiore acie videat, quale sit quod Dominus cum de passionis suae loqueretur instantia dixit: *Venit, hora, ut clarificetur Filius hominis.* Et infra: *Pater, clarifica Filium tuum,* et cum vox Patris venisset e caelo dicens: *Et clarificavi et iterum clarificabo,* respondens Iesus circumstantibus dixit: *Non propter me vox haec facta est, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi mittetur deorsum. Et ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me.*

O mirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria passionis! in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas est crucifixi. Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses, tota die manus tuas ad populum credentem et contradicentem tibi, confitenda maiestatis tuae sensum totus mundus accepit.

Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta sanctorum ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, lex in evangelium verteretur. Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Iudeae templo obumbratis significationibus agebatur, pleno aperto que sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret.

Nunc enim carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,* et ita perfidis in te universa mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

RESPONSORIUM*

cf. *Mt 27, 45. 46; Io 19, 30; Lc 23, 46*

R. Tenebrae factae sunt, dum crucifixissent Iesum Iudaei, et circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna: Deus meus, ut quid me dereliquisti. * Et inclinato capite emisit spiritum.

* H. 7760; BR, Feria VI, Hebd. sanctae, R. 5.

V. Exclamans Iesus voce magna ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. * Et inclinato.

Ubi non fit Vigilia protracta. Oratio, ut in LH, II, 383.

Pro Vigilia protracta: Ant., Cantica, Passio et Oratio ut in anno I. Conclusio Horae, ut in Ordinario.

SABBATO SANCTO

Ad Invitatorium

Ant. et Psalmus ut in anno I.

Ad Officium lectionis

Hymnus *Christe, caelorum Domine,* Psalmodia et Versus ante lectiones, ut in anno I.

LECTIO PRIOR, ut in anno I.

RESPONSORIUM*

R. Aestimatus sum cum descendantibus in lacum: * Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

V. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis. * Factus.

Vel:

De libro Ieremiae prophetae

20, 7-13

Anxietates prophetae

⁷ Seduxisti me, Domine, et seductus sum;
fortior me fuisti et invaluisti.

* H. 6057; BR, Sabb. Sancto, R. 8.

Factus sum in derisum tota die,
omnes subsannant me.

⁸ Quia quotiescumque loquor, vociferor,
iniquitatem et vastitatem clamito;
et factus est mihi sermo Domini
in opprobrium et in derisum tota die.

⁹ Et dixi: « Non recordabor eius,
neque loquar ultra in nomine illius ».
Et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans
claususque in ossibus meis:
et defeci, ferre non sustinens.

¹⁰ Audivi enim contumelias multorum
et terrorem in circuitu:
« Denuntiate, et denuntiemus eum ».
Omnes pacifici mei observabant lapsum meum:
« Forte decipietur, et praevalebit adversus eum
et consequemur ultionem ex eo ».

¹¹ Dominus autem mecum est quasi bellator fortis;
idcirco, qui persequuntur me,
cadent et infirmi erunt.
Confundentur vehementer, quia non prosperati sunt;
opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.

¹² Et tu, Domine exercituum,
probator iusti, qui vides renes et cor,
videam, quaeso, ultionem tuam ex eis;
tibi enim revelavi causam meam.

¹³ Cantate Domino, laudate Dominum,
quia liberavit animam pauperis
de manu malorum.

RESPONSORIUM*

R. Aestimatus sum cum descendantibus in lacum: * Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

V. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis. * Factus.

LECTIO ALTERA

Ex antiqua Homilia in sancto et magno Sabbato

(PG 43, 454-455. 458)

Christus descendens ad inferos

Deus Christus, non aequum censuit, ut iis solis, qui vitae eius essent tempore aut post futuri, propriam impertiret misericordiam; verum et iis qui ante ipsius adventum in inferno erant detenti, et in tenebris et umbra mortis sedebant. Quocirca homines quidem carne praeditos per carnem animatam Deus Verbum invisit; animabus vero a corporibus liberatas per divinam et purissimam suam animam in inferno apparuit, quae a corpore, non a divinitate discesserat. Itaque properemus mente, et in infernum eamus, ut videamus quomodo illic tandem robore praeditum fortissimum tyrannum maxima vi superavit; et cum omni populo militariter instructo sua coruscatione immortales illas ordinum acies sine armis subegerit: quando fores sine foribus sustulit e medio, et portas non ligneas ligno crucis Christus ostium fregit, clavisque divinis vectes aeternos contrivit confregitque: et vinculis divinarum suarum manuum insolubiles catenas tamquam ceram dissolvit. Item hasta divini sui lateris carnis expers cor tyranni perforavit. Illic contrivit robora arcuum, cum in cruce, tamquam in arcu, divinarum manuum nervos extendit. Quamobrem si cum silen-

* H. 6057; BR, Sabb. Sancto, R. 8.

tio secutus fueris Christum, mox videbis ubinam tyrannum colligarit, et ubi huius caput suspenderit; quomodo carcerem disiecerit; quo vinctos eduxerit, quo pacto serpentem conculcarit, et ubi caput appenderit; quomodo Adamum in libertatem asseruerit; quomodo Evasus suscitarit; qua ratione intermedium maceriam diruerit; quomodo saevum condennarit draconem, quomodo invicta posuerit trophaea, ubi mortem morte affecerit, et qua ratione corruptionem corruperit, hominemque in pristina dignitate constituerit.

Heri igitur dispensatione quadam legiones angelorum recusans dicebat Petro: *Nonne possum nunc exhibere plus quam duodecim legiones angelorum?* Hodie, ut Deo par est, simulque bellicose et tamquam Dominus descendit ad inferos, et mortem, ac tyrannum per mortem, immortales incorporeorum exercituum et cohortium invisibilium non duodecim alias legiones, verum decies milies centena millia angelorum, archangelorum, potestatum, thronorum, throni exercitum, senis alis praeditorum, alis parentium, multoculorum, oculos non habentium caelestium cohortium. Nimirum veluti proprium Dominum et regem sollemni pompa deducentes et caterva stipantes, debitoque honore prosequentes Christum; non autem ut adiutrices; apagesis! Qualibus etenim socialibus copiis omnipotens indiget Christus? Verum quod debent iuxta et amant, suo semper Christo Deo astare, tanquam aliqui armigeri stipatores, gravi armatura contecti, et sceptriferi splendidi celaresque divini, herilis et regalis sceptri, ad nutum solum summa alacritate divina mutuo antevertentes; simul cum iussu ad effectum imperata deducentes, et victoria coronati contra hostium et improborum ordines. Quapropter et tunc descendebant, cursu simul et concursu accelerantes cum Deo et Domino in inferna et subterranea; et omni terra profundiora, quae sunt a saeculo mortuorum latebrosa domicilia, cum educeret in fortitudine a saeculo in compedibus habitos. Postquam igitur undique foribus munitos, et nullum solem, sempiternas autem tenebras habentes inferni carceres, domosque, latibula et speluncas Domini una cum divino populo occupavit coruscans adventus, antevertit omnes Gabriel princeps exercitus, tamquam qui ex more fausta feliciaque nuntia hominibus

ferre consuevit et mandatum quoddam forte consentaneum ordini archangelorum et ordini principum militiae clara et leonina voce adversis potestatibus intonans ait: *Tollite portas, qui inter vos principes estis.* Cum quibus clamat et Michael: *Et elevamini, portae aeternae.* Deinde et virtutes aiunt: Discedite, ianitores improbi; deinceps et potestates magna vi et potentia: Conterimini, catenae insolubiles; et alias: Confudamini pudore, aduersi hostes; et alias: Timete, tyranni iniqui.

Vel ut in anno I.

RESPONSORIUM*

R. Recessit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cuius transitum sol obscuratus est; nam et ille captus est, qui captivum tenebat pri-
mum hominem. * Hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster
disrupit.

V. Destruxit quidem claustra inferni et subvertit potentias dia-
boli. * Hodie.

Ubi non fit Vigilia protracta, Oratio ut in LH, II, 883.

Pro Vigilia protracta: Ant., Cantica, Evangelium et Oratio ut in anno I; Conclu-
sio Horae, ut in Ordinario.

Nel concludere la nota che accompagnava gli elenchi del *Supplementum* della Liturgia Horarum, in *Notitiae* (1992 nn. 306-307) si diceva che restava «ancora del lavoro da fare prima di poter pubblicare i testi attualmente proposti». Il saggio che adesso si pubblica è per testimoniare che il Coetus non si è limitato alla scelta dei testi indicati negli elenchi, ma li ha corredati di tutto quell'apparato necessario alla loro pubblicazione.

In *Notitiae*, n. 45, nel 1969, furono pubblicate sotto forma di specimina, le

* H. 7509; BR, Sabb. Sancto, R. 4; LH, Sabb. Sancto, R. 2.

letture patristiche della «Hebolomada I Paschae» (cf. pp. 102-112). Quando nel 1970 fu pubblicato, come manoscritto, lo schema 349 (De Breviario 93), delle otto letture degli specimina del 1969 già una, quella di s. Agostino, Sermo Guelferbytanus 8, era stata sostituita con lo Pseudo Ambrogio, Sermo 35, 6-10 e l'altra di s. Agostino, Sermo 227, era stata sostituita con il Sermo Denis 8, in Octava Paschatis, e in quella di Melitone di Sardi era stata sostituita una parte. Nell'Anno unico scompaiono nell'ottava i testi dello Ps. Ippolito, dello Ps. Ambrogio e di Tommaso da Villanova (che nello schema 349 era posto come alternativo) e viene aggiunto un testo di Anastasio Antiocheno. Si era nel 1971, dopo due anni da uno specimen pubblicato.

Nel nostro caso tra le indicazioni del Cursus pubblicato in *Notitiae* 1992, nn. 306-307, e quello dello specimen qui riprodotto, mentre per l'Anno I non si notano cambiamenti, per l'Anno II, in luogo della lettura di Origene, Hom. 10, in Ieremiam, 1-3 (= II, 89) è stata posta una lettura di s. Pier Crisologo, il Sermo 72ter de Passione Domini.

Comparando il Supplementum con l'Anno unico pubblicato nella edizione tipica si noterà che nei due anni del cursus biennalis solo una lettura pubblicata nell'Anno unico viene ripresa: l'antica Omelia «in sancto et magno Sabbato». (NB. Alcune delle altre letture che nell'Anno unico erano nella settimana Santa sono state riprese nel progetto del Cursus biennale, altre invece, come quelle di s. Andrea di Creta, di s. Basilio, di s. Agostino, di s. Giovanni Crisostomo, non sono state, allo stato attuale, incluse nel progetto).

Lo specimen del Supplementum, nella forma in cui si pubblica, presenta anche i Responsori, che nella maggior parte sono tradizionali, come si può controllare dalle note tecniche che li corredano. Anche nell'Anno unico erano stati ripresi certi responsori tradizionali e tra quelli del progetto solo tre dei precedenti hanno trovato un loro posto.

Tutto questo indica che è ancora possibile riprendere in considerazione certe scelte fatte e questo è parte del lavoro che resta da fare.

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI OECUMENICI CONCILII VATICANI II RENOVATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

DE ORDINATIONE
EPISCOPI, PRESBYTERORUM
ET DIACONORUM

EDITIO TYPICA ALTERA

Ritus Ordinationum, quibus Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia constituantur, iuxta normas Concilii Vaticani II (cf. SC, 76) recogniti, anno 1968 in prima editione typica promulgati sunt sub titulo *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi*.

Nunc vero, attenta experientia, quae e liturgica oritur instaurazione, opportunum visum est alteram parare editionem typicam, quae relatione habita ad priorem, sequentia praebet elementa peculiaria:

- editio ditata est *Praenotandis*, sicut ceteri libri liturgici, ut apte exponatur doctrina de sacramento et structura celebrationis clarius eluceat;
- dispositio libri immutata est, ita ut initium sumendo ab Episcopo, qui plenitudinem sacri Ordinis habet, melius intellegatur quomodo presbyteri eius sint cooperatores et diaconi ad eius ministerium ordinentur;
- in Prece Ordinationis sive presbyterorum sive diaconorum nonnullae mutatae sunt locutiones, ita ut ipsa Prex ditionem presbyteratus et diaconatus praebeat notionem;
- ritus de sacro caelibatu amplectendo inseritur in ipsam Ordinationem diaconorum pro omnibus ordinandis non uxoratis etiam iis qui in Instituto religioso vota perpetua emiserunt, derogato praescripto canonis 1037 Codicis Iuris Canonici;
- ad modum Appendix additur Ritus pro admissione inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum, paucis tantummodo mutatis.

Venditio operis fit cura Librariae Editricis Vaticanae

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI OECUMENICI CONCILII VATICANI II RENOVATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

ORDO CELEBRANDI
MATRIMONIUM

EDITIO TYPICA ALTERA

Ordo celebrandi Matrimonium, ad normam decretorum Constitutionis de sacra Liturgia recognitus, quo ditior fieret et clarius gratiam sacramenti significaret, a Consilio ad essequendam instaurationem liturgicam apparatus, anno 1969 publici iuris factus est a Sacra Rituum Congregatione in prima editione typica. Nunc vero, post experientiam pastoralem plus quam vicennalem factam, opportunum visum est alteram parare editionem, attentis animadversionibus et suggestionibus, quae ad Ordinem meliorem reddendum hucusque ac undique pervenerunt.

Editio typica altera apparata est ad normam recentiorum documentorum, quae ab Apostolica Sede de re matrimoniali sunt promulgata, videlicet Adhortationis Apostolicae *Familiaris consortio* (diei 22 novembris 1981) et novi *Codicis Iuris Canonici*.

Relatione habita ad priorem, haec editio altera sequentia praebet elementa peculiaria:

— editio ditata est amplioribus *Praenotandis*, sicut ceteri libri liturgici instaurati, ut aptius exponatur doctrina de sacramento, structura celebrationis immediate eluceat et opportuna suppedimenta pastoralia media ad sacramenti celebrationem digne praeparandam;

— modo clariore indicatae sunt aptationes Conferentiarum Episcoporum cura parandae;

— nonnullae inductae sunt variationes in textus, etiam ad eorum significationem profundius comprehendendam;

— adiunctum est novum caput (Caput III: Ordo celebrandi Matrimonium coram assistente laico) ad normam can. 1112 C.I.C.;

— ad modum *Appendicis* inserta sunt specimina Orationis universalis, seu fidelium necnon Ordo benedictionis desponsatorum et Ordo benedictionis coniugum intra Missam, occasione data anniversarii Matrimonii adhibendus.

Venditio operis fit cura Librariae Editricis Vaticanae

In-8°, rilegato, pp. 109

L. 40.000